



XI IV 53.

M. Antonii Lodzienski S.D.
egi Ibis College Maji 1790
E 20 Maj

Wiseas

R.V.99

CORONA URBIS & ORBIS, GLORIA & GEMMA *REGNI POLONIÆ* UNIVERSITAS SCIENTIARUM, Publica, Amplissima, & Celeberrima BIBLIOTHECA ZAŁUSCIANA.

Ab imis fundamentis, usq; ad culmen,
Bibliothecam Collegi sermone ligato,
Majori *E R E C T A.* *M. Jakobus Zaluscius
College Majoris 1748.*

Et varnis Symbolis partim propriis, partim aliundē desumptis,
Eiusdem BIBLIOTHECÆ Majestatem, Dignitatem, Utilem
amplitudinem, finem & estimationem, adumbrantibus.

ILLUSTRATA.

à M. IACOBO PAVLO RADLINSKI POLONO, S. Theologiae Doctore, Ordinis Canonicorum Regularium,
Custodum Sacrosancti Hierosolymitani Sepulchri
CHRISTI Domini, PRÆPOSITO GENERALI INFULATO.

ANNO DOMINI, 1748.

CRACOVIAE,
Typis Michaélis Dyaszewski, Sacrae Regiae Majestatis Typographi.
<http://rcin.org.pl>



XVIII, 2. 1414

C E L S I S S I M O
P R I N C I P I,
I L L V S T R I S S I M O, E X C E L.
L E N T I S S I M O, R E V E R E N.
D I S S I M O D O M I N O,

D. A N D R E Æ
S T A N I S L A O K O S T K Æ,
C O M I T I I N Z A Ł V S K I E
Z A Ł U S K I,
E P I S C O P O C R A C O V I E N S I,
D V C I S E V E R I Æ.

Ordinis Poloni

A Q V I L Æ A L B Æ
E Q V I T I &c. &c.
Ja^c(ILLV.

ILLVSTRISSIMO & REVERENDISSIMO DOMINO,

D. JOSEPHO

ANDREÆ,
COMITI in ZAŁVSKIE,

ZAŁVSKI,

**Supremo Regni Poloniæ
REFERENDARIO,**

ABBATI

Villariæ, Betnaci, & Fontanctti,
Ecclesiarum Cathedralis Cracoviensis

C A N O N I C O ,

REGIÆ & Insignis Collegiatæ Varsaviensis

P R Ä P O S I T O ,

**STATVVM BVRGVNDIÆ ASSESSORI,
PARLAMENTI NANCEIANI CONSILIARIO &c. &c.**

**Dominis Clementissimis,
Fundatoribus Amplissimis.**

**C E L S I S S I M E , I L L V S T R I S S I -
M E , E X C E L L E N T I S S I M E
P R I N C E P S .**
**I L L V S T R I S S I M E & R E V E -
R E N D I S S I M E
R E F E R E N D A R I E
R E G N I ,**
Fundatores Amplissimi.

 *Oronam Urbis & Orbis Bi-
bliothecam Vestram, nato
ad Coronas impono AGNI
Capiti: Gloriam & Gem-
mam Regni Poloniae, glo-
riosissimis meritis, & Triumphis in-
sero JVNOSSÆ: Universitatem
Scientiarum coram Throno Ejusdem
AGNI depono, qui non tantum no-*
vit

vit aperire Libros, sed etiam conde-
re, & fundare. Si enim amplissi-
ma BIBLIOTHECA Vestrā potest
Urbem & Orbem Coronare; etiam
AGNO coronando est sufficientissi-
ma! si BIBLIOTHECA Vestrā est
Gloria Regni Poloniæ: potiori titulo
est gloria Gentilitij AGNI. Si BI-
BLIOTHECA Vestrā est Vniversitas
Scientiarum, & ubi áltius vel felicius
collocari potest, quam in Throno A-
GANI, cui universum docendi & sci-
endi genus, est domesticum & hæredi-
tarium. Sicut enim in alijs Sarmatici
Regni Familyjs, fortes creantur ex for-
tibus, Heroes ex Heroibus, Principes
ex Principibus, ita in Nobilissima stir-
pe AGNI non tantum Heroes ex
Heroibus, sed etiam sapientes ex sa-
pien-

pientibus, Eruditi ex Eruditis, Docto-
res ex Doctoribus, Scriptores ex Scri-
ptoribus generantur. De Vestri AGNI
Domo, continua serie prodeunt Magni
AVGVSTINI, SOLES Aquinatici,
Subtilissimi SCOTI, Aurei CHRY-
SOSTHOMI, eloquentissimi Tullij,
Lyricorum Principes, Horatij, & Sarbie-
vij, qui eruditione & Sapientia tantum
creverunt, ut totam Domum AGNI,
effecerint Vniversitatem Scientiarum.
Quotquot igitur ZAŁUSCIANÆ Gentis
Numina Sarmaticus computat orbis,
tot adorat veræ sapientiae, non tantum
Possessores, sed etiam perpetuos He-
redes. Quanta autem virtute Glorio-
sissimis Majoribus Vestris innata suit
Sapientia, & per successionem Doctissi-
morum ingeniorum continuata, aqua-
li

li perfectione & Vobis est congenita, ac
desponsata. Neq; istius rei quærenda sunt
à longè documenta, ipsa enim Publi-
ca, Amplissima, & Celeberrima BI-
BLIOTHECA tot sumptibus & Stu-
dijs Vestris condita, exhibet clarissi-
mum testimonium, in qua Gentilitius
AGNVS, tanquam in Throno, per-
petuo resplendebit, & hereditatem ja-
pientiæ, ac scientiæ præsentabit. O
quām innumeros recensent Fasti Polo-
niæ, qui cum essent æternæ memoriae
avidissimi, sumptuofissima Palatia, mu-
nitissima fortalitia, amplissima Ca-
stella, turres altissimas, mænia vallis-
sima, liberalissime condiderunt. sed post
quam hæc perfecerint, illa Domui suæ,
& Successoribus tenenda, possidenda, &
hereditanda reliquerunt Vos autem

Am.

*Amplissimi Conditores, dum BIBLIOTHECAM fundandam decrevistis,
Et ipsò factō fundāstis, eam non Gentili & Domui Vestræ, sed Ecclesiæ, Regno, & publico usui consecrāstis. In hoc autem tam heroicæ virtutis prodigio, immensam admirationem excitāstis, quod licet hæreditatem BIBLIOTHECÆ, Ecclesiæ, & Regno cesseritis, tamen veræ Sapientiæ Hæredes imò Reges splendeatis. BIBLIOTHECAS enim fundare, Regum character & munus est: quas namqz in toto Orbe nobiliores BIBLIOTHECAS observamus, harum Fundatores suisse Reges compertum habemus. Sic BIBLIOTHECAM*

)bC

Per.

Pergamenam fundavit Eumenes Rex
Pergami, Ægyptianam Ptolomæus
Philadelphus Rex Ægypti, Constantino-
politanā Constantinus Magnus Impera-
tor, Parisiensem Christianissimi Galliarū
Reges, Escurialensem Catholici Hi-
spaniarum Reges, Alexandrinam, A-
theniensem, Antiochenā, Hipponiensem,
Florentinam, Fulensem, Viennen-
sem, Bavaricam, partim Reges, Prin-
cipes, & Duces condiderunt. Cùm
ergò Amplissimi FUNDATORES
Publicam BIBLIOTHECAM Var-
saviensem ereexistis, plantatis, & fun-
datis; munus & Officium tantorum
Imperatorum, & Regum implevistis,
& Vos Ipsos per tam stupendam Fun-
dationem, Regum honore Dignissimos
exhi-

exhibuistiſis, ſiquidem tantum Opus pu-
blico & communi bono erexitis, quan-
tum vix Aeraria Regum & Regnorum
condere ſufficiunt. Et certè ſi Ampliſſi-
mam hanc BIBLIOTHECAM candi-
dè intueamur, omnia ibi Regalia præſen-
tantur; Regalis Basilica, Regalis Ma-
jellas Fabricæ, Regalis Splendor in-
terior & exterior, Regalis delectus &
apparatus voluminum & librorum,
Regalia ornamenta, Regalis munifi-
centia in tot millibus Authorum, Scri-
ptorum & Doctorum, ex toto Orbe
conductorum. Vnde prefata BIBLI-
OTHECA ſicut eſt Aerarium publicum
Scientiarum; ita Thronus REGVM, &
AGNI. Ampliſſima BIBLIOTHE-
CA Constantinopolitana habuit Pro-

)b2C

ſeſſo-

fessorem, duodecim Discipulos possiden-
tem satis insigni titulo compellatum:
Oecumenicum Domicilium: Et Ve-
stra BIBLIOTHECA pari gloriatur
honore: Vos enim Ipsi Gloriosi-
ssimi FUNDATORES, estis Oecu-
menicum seu Vniversale Domicilium
Sapientiae: habetisq; Discipulos, non
jam duodecim, sed totum Regnum, &
Vniversum Orbem. Quo titulō re-
splendetis Munificentissimi CONDITO-
RES, eodem justissime frui potest Cele-
berrima Vestra BIBLIOTHECA. &
illa enim recte dici potest: Domicilium
Oecumenicum, omnis eruditionis &
Scientiae, in qua habitat & continetur
omnis plenitudo Doctorum totius Or-
bis. Ad illam ergo tanquam ad Oecu-
meni-

menicum & Universale Domicilium sa-
pientiae, concurrunt omnes Gentes, Po-
puli, Nationes, & Provinciae, ad illam
concurrunt omnia Regna, & Imperia:
Ad illam convolant omnes Aquilæ Po-
lonæ, & quidquid in ea didicerint, id
totum ad defensionem S. Romanæ Ca-
tholicæ & Apostolicæ Ecclesiæ, ad ho-
norem Serenissimi Invictissimi & Poten-
tissimi Poloniarum Regis AUGUSTI
III. & Serenissimorum Successorum
Ejus; ad Regni Sarmatici ampliandum
decus. & totius Boni Publici incremen-
tum promovendum conferant. Dedi in
Conventu Generali Miechoviensi die
xxiii. Ianuarii. Annò Domini, MDCCXLVIII.

PRÆ.

PRÆFATIO, Ad Benevolum Lectorem.

QVAM PRIMUM ANNÔ DOMINI,
1745. die 19. Aprilis, contigit fa-
talissimum incendium Ecclesiæ,
& Conventûs Generalis Miechovien-
sis, tam primum constitueram de me-
is Manuscriptis nihil typô imprimere,
nè tantarum ruinarum reparacioni, ali-
quid subtraherem. Quod autem præ-
sentem meum laborem resolutus fue-
rim imprimere, causa, origo, & moti-
vum est hoc: A. R. STANISLAVS
à LOWICZ, S. Theologiæ Doctor,
Ordinis Nostri Canonicus, ante annos
ducen.

ducentos impresserat Opusculum suum,
de Immaculata Conceptione Beatæ Virgi-
nis MARIÆ, sed illud ita dispersum est
& abolitum, ut nullibi Ejus exemplar
reperire potuerim. Postquam autem
increbuit Amplissima Fama Bibliothecæ
ZALVSCIANÆ, ad eandem mea
desideria converti, & supplicavi Illu-
strissimo & Reverendissimo Domino,
Domino JOSEPHO ANDREÆ Co-
miti in Załuskie ZALVSKI, Supremo
Referendario Regni, Literatorum Prin-
cipi, quatenus præfatum Opusculum
STANISLAI à ŁOWICZ, in sua
Bibliotheca querere dignaretur, quod
inventum ab Eodem mihi liberalissi-
mè donatum est. Ex occasione ergò
inventi Libri STANISLAI à ŁO-
WICZ,

WICZ, accedit me alacritas scriben-
di, unum vel duo Epigrammata, in
laudem Bibliothecæ ZAŁVSCIA-
NÆ: his scriptis occurrerunt menti
alia duo, his iterum conceptis exarsit
animus plura scribendi, & tandem tan-
tillum scripsi, quantulum hic proponi-
tur. Plura scribere animus & facul-
tas non desuit, sed gravis infirmitas
impedijt. Sed etiam hæc minuta, sint
monumentum gratitudinis, & profun-
dissimæ submissionis meæ erga Celsissi-
mam & Illustrissimam Domum ZA-
ŁVSCIANAM, Ejusq; Celeberri-
mam Bibliothecam, cui Librum pro li-
bro offero. Quantum autem ad noti-
tiā meæ minutæ opellæ pertinet, no-
tandum est, quod Bibliotheca duplex
cogi-

cogitari possit, una exterior, altera interior. *Bibliotheca* exterior est ipsa *Basilica* seu *Palatum* pro libris servandis conditum. *Bibliotheca* interior, sunt ipsi *Libri* in *Bibliotheca* conservandi. De *Bibliotheca* exteriori agetur in prima parte: de *Bibliotheca* interiori in secunda parte, & alijs circumstantijs ad *Bibliothecam* spectantibus; adhibitis varijs Symbolis, ad præsentem materiam conducentibus. Quoniam autem hic Nomine *JVNOS-SARVM* frequenter utor, per *JV-NOSSAS* intelligo, Ipsos Celsissimos & Illustrissimos *ZALUSCIOS*: Illorum enim Stemma nempe *AGNVS*, vocatur *JVNOSSA*, ab hoc ergo stemmate *ZALVSCII* appellantur

cc

tur

eur JVNOSSE, JVNOS-
SII, vel JVNOSSETÆ.
Prætereà in contextu ulteriori una
vice usus sum Nomine JANI-
NÆ, porrò per JANINAM
intelligitur Gentilitium Stemma Se-
renissimi, & Invictissimi SOBIE-
SKI, IOANNIS III. Polonia-
rum Regis. Hæc præcautio sit propter
Authores exteris, Stemmatum
Polonorum, & Appellationum,
non semper plenam notiti-
am habentes.

PARS

PARS I.

De Fundamentis Structura, Parietibus, Portis, & alijs partibus Publicæ, Amplissimæ, & Celeberrimæ Bibliothecæ ZAŁUSCIANÆ Varsaviensis, pro qua Magnificam Basilicam seu Palatium fundavit Celsissimus PRINCEPS.

Qui vult aliquam Fabricam construere celsitudinis, de fundamento prius debet cogitare humilitatis, inquit S. Augustinus. Cum ergo hic Grandem Fabricam, nempe Bibliotecam ZAŁUSCIANAM intendamus construere, primò ipsius fundamenta ponemus, & Symbola applicabimus; tūm deinde ad alias partes descendemus, ex quibus omnibus patebit Dignitas & Utilitas Publicæ Bibliothecæ Varsaviensis.

SYMBOLUM I: BIBLIOTHECÆ.

Est Civitas Jerusalem juxta illud: *Vidi Civitatem Sanctam Jerusalem novam descendentem de Cœlo à DEO; paratam sicut sponsam ornatam Viro suo Apoc: 21.*

Cum Lem: Quāvis populosior Urbe.

Urbs quot Jerusalem referebat signa, decores, Hos omnes justè Bibliotheca capit:

A

Et

Est nova Sponsa DEI, Cœlo descendit ab alto,
 Doctorum pretiō sancta, beata nitens.
 Innumeris fulget gemmis ornata Librorum,
 Sicut adornatur sponsa parata Viro.
 Urbs est Jerusalem quāvis populosior Urbe,
 Excedit populos Bibliotheca Libris.
 Et quot Jerusalem sua fundamenta gerebat,
 Omnia plena Libris Bibliotheca tenet.
 Urbs est Jerusalem purō prænobilis aurō,
 Fundamenta cui mox duodena patent.

S Y M B O L U M II.

B I B L I O T H E C Ā.

Sunt fundamenta Civitatis Ierusalem juxta illud: Apoc: 21.
Et fundamenta muri Civitatis omni lapide pretioso ornata. Fun-
damentum primum Iaspis: secundum Sapphirus: tertium Chalce-
donius: quartum Smaragdus: quintum Sardonix: sextum Sar-
dus: septimum Chrysolythus: octavum Beryllus: nonum Topa-
zius: decimum Chrysopraeius: undecimum Hyacinthus: duode-
cimum Amethystus.

F U N D A M E N T U M I , B I B L I O T H E C Ā.

E T S Y M B O L V M III,
 Est Iaspis cum Lem: *Vnus, sed triicolor.*

Vnus

UNUS, sed tricolor Jaspis se porrigit Orbi,
 Vnum perfectum monstrat, & esse tria:
 Bibliotheca DEUM Naturâ dum docet Unum,
 Trinum Personis dum probat atq; monet:
 Jaspidis in se se sacra fundamenta reponit,
 Ejus prima basis, Jaspidis omne decus.

FUNDAMENTUM II.

ET SYMBOLVM IV.

BIBLIOTHECA.

Est Sapphirus cum Lem: Cœlesti fulgurat ore.

CÆrulea gaudet Saphirus, fronte, colore,
 Lumine cœlesti fulgurat ore simul:
 Bibliotheca loquens cœlestia gaudia mundo,
 Sapphiri mirum semper adimplet opus.

Aliud Lemma Sapphiri: Qvæ tangit cœrulea reddit.

COrpora qvæ tangit Saphirus cœrulea reddit,
 Consimili facto Bibliotheca gerit:
 De cœlo quoties populos informat, & orbem,
 Cœlica de toto pectora, corda creat.

FUNDAMENTUM III,
BIBLIOTHECA.
ET SYMBOLVM V.

Est Chalcedonius cum Lem: *Emollit corpora ceræ.*
QVAM Chalcedonius tangit pro tempore ceram,
Contactus proprij robore mollit eam:
Pectora si fuerint ipsis fortissima saxis,
Hæc folijs mollit Bibliotheca suis.
Imprimis ac in eis rectæ signacula vitæ,
Ac tanquam ceram flectere corda potest.
Si Chalcedonij tam sanctè munera complet?
Pro fundamentis, hic Lapis, ejus eat.

FUNDAMENTUM IV,
BIBLIOTHECA.
ET SYMBOLVM VI.

Est Smaragdus cum Lem: *Nil jucundiùs illò.*
TAM pulchrè mirequè viget virtute Smaragdus,
Tam pulchrè flamas explicat ore suas:
Ut nihil eximiùs, tum nihil jucundiùs illò,
Intuitum visu recreat ille suo.
Bibliotheca Libris large radiata stupendis,
Pulchrior, & melior nonne Smaragdus adeſt?
Pulchriùs hâc nihil est, & nil jucundiùs illa!
Excedit fulgens ordinis omne decus.

Aliud

Aliud Lemma Smaragdi: Recreat non satiat.

Quos oculos recreat proprio splendore Smaragdus,

Hos tamen in toto, non satiare potest,

Bibliotheca cui mentem recreavit, & aures,

Hac Docti nunquam mens satiata redit:

Sed trahit, atq; movet mentes ad plura videnda;

Quo plus vidisti, plura videre cupis!

Quo plus legisti restant tibi plura legenda;

Discendi semper major adurit Amor.

DOCTORES queras discendi semper Avaros,

Illorum requies, gloria, vita Libri.

F U N D A M E N T U M V.

B I B L I O T H E C A E

E T S Y M B O L V M VII.

Est Sardonix cum Lem: Binus & unus.

S Ardonychus splendens albo, rubroq; colore,

Naturæ nexu binus, & unus adest.

Bibliotheca docens, passim sine sangvine certat,

Et tamen in bellis justa trophyæ capit.

Ex ipsis bellis albo condigno colorc,

Conveniens justus candor amictus ei:

Sed dum sangvineas de frontis culmine guttas

Elicit: est illi Purpura vera decus.

Sed

Sed tamen ex binis vestitum colligit unum,
Candori semper Purpura mista subest.

FUNDAMENTUM VI.

BIBLIOTHECA.

ET SYMBOLVM VIII.

Est Sardius cum Lem: *Menti novum acumen.* vel
Perficit ingenium.

IN quo continuam deponit Sardius ædem,
Perficit ingenium, præbet acumen ei:
Quis magis ingenium confirmat, perficit, auget?
Quam fulgens Doctis Bibliotheca Libris?
Quis magis excelsum tradit, progignit Acumen?
Quam doctæ mentis Bibliotheca Thronus:
Quot nova terrarum præsentat acutina mundus,
Et quas ingenij præstat habetq; vices:
Omnia de folijs Sacra Bibliotheca creavit,
Omnia Docta Domus, fecit acuta magis,
Ut frumenta suis largè ducuntur acervis,
Ut proprio manant pulchra coralla mari:
Sic de Librorum folio, veraq; Magistra,
Omne novum mundus, semper acumen habet.

FUNDA-

FUNDAMENTUM VII,
BIBLIOTHECA.

ET SYMBOLUM IX.

Est Chrysolithus cum Lem: *Aurō fulget & igne.*

Inter præcipuas virtutes, atq; nitores,

Auro Chrysolithus fulget, & ore micat,
Bibliotheca magis dicta virtute refulget,

Ignibus ac auro tota corusca nitet.

Aurum censemur Cælo Sapientia nata,

(Est cùi conveniens Bibliotheca Domus)

Ignes illius, credas incendia mentis,

Hæc, quæ de Libris orta venire solent,
Et non tam flamas exardens suscitat ignis,

Ut cordis motus Bibliotheca ciet,

Quas nimium torquent fortissima frigora mentes,

Ignibus has urit Bibliotheca suis.

FUNDAMENTUM VIII,
BIBLIOTHECA.

ET SYMBOLUM X.

Est Beryllus cum Lem: *Et viret, & pallet-*

ET viret, & pallet, rotus Beryllus ad intra,
Pallidior, potior, creditur esse magis:

Biblio-

Biblio si thecte species de fonte virorēm,
 Laurea Doctorum Stemmatā, Soeptra docent.
 Pallorem verō doctūm si quæris in illa,
 Quilibet è Doctis pallidus esse solet.
 Nam quō plus Libris indulget sæpe legendis,
 Pallidior vultu, doctior ore micat.

F U N D A M E N T U M IX, B I B L I O T H E C Ā. E T S Y M B O L U M XI.

Est Topazius cum Lem: *Omnicolor radiat.*

Excedit lapides virtute Topazius omnes,
Omnicolor radians, omnia prorsùs habet.
 Bibliotheca Libris de Regnis omnibus aucta,
 Verius omnicolor tota serena patet!
 Nec sunt tot lapidi naturæ lege, colores,
Quot præstat doctos Bibliotheca Libros.
 Hæc numerare potest Librorum millia mille,
 Amplius hunc numerum pandere nonne potest?
 Si tantum numeret, si tantum pandat, & ultra?
 Verius omnicolor rite tenenda manet.

FUN-

FUNDAMENTUM X,
BIBLIOTHECÆ.
ET SYMBOLVM XII.

Est Chrysophrasus cum Lemmate: *Auriferis guttis,*
polletq; virore.

Auriferis guttis mirè Chrysophrasus ardet,
Ast illum pariter tollit ad Astra viror.
Non guttas auri, sed totis fontibus aurum,
In fundo proprio Bibliotheca sovet:
Herbarum pariter splendet formosa virore,
Et viridi serto tempora docta legit.
Ex auro tandem donat diademata fronti,
Quæ de continuo fessa labore manet.

FUNDAMENTUM XI,
BIBLIOTHECÆ.
ET SYMBOLVM XIII.

Est Hyacinthus cum Lem: *Imponit frena veneno;*
Hoc mirò præstat fulgens Hyacinthus honore,
Quod frenet proprio cuncta yenena sinu.
Et cùi plura magis traduntur fæda venena?
Quam fidei veræ, Discipulisq; Petri;
Quæ varijs laqueis, & fraudibus hæresis audax.
Opponit cupiens tollere jura, fidem.

B

Sed

Sed cunctis laqueis his Bibliotheca medetur,
 Hæreseos frenat cuncta venena, dolos.
 Quod si defuerit tam felix sacra medela,
 Hæresis inficeret singula Regna Soli.

FUNDAMENTUM XII.

BIBLIOTHECÆ.

ET SYMBOLUM XIV.

Est Amethystus cum Lem: *Miscentur violæ resistis.*
Pallentes violas præfert Amethystus, & idem
 Fragrantes proprio signat honore rosas.
 Bibliotheca suum referat dum Gentibus hortum,
 Nonne virent violæ nonne rubentq; rosæ?
Pallentes Libri, violarum signa recondunt,
 Martyrij flores, dant referuntq; rosas:
 Sic violis páriterq; rosis de Flore librorum;
 Permissus manat, fragrat, habetur odor.

DE STRUCTURA BIBLIOTHECÆ.

Et erat Structura muri ejus de lapide Iaspide Apoc: 21.

I.

Urbs dum Jerusalem fuerat fortissima grandis,
 Fundamentorum pondere nixa gravi:

Cur

Cur tantum solo pretioso Jaspide constat?
 Cur lapis hic unus, nobile condat opus?
 Quomodo structuram tantam componere solus
 Is poterat Jaspis? vel tribuisse decus?
 Hoc dubium plenè solvit ZAŁUSCIA Pallas,
 Hoc clarum monstrat Bibliotheca Domus.
 Quæ quamvis niteat perfectè Fabrica Grandis,
 Condita de solo Jaspide tota manet.
 Nam PRINCEPS illam ZAŁUSKI KOSTKA creavit,
 Munera demonstrans Jaspidis, atq; decus.
 Hâc una GEMMA Musis structura parata,
 Murorum per eam Fabrica, luxit Opus.
 Jaspide tam Sancto Columen surrexit in uno,
 Ex illo Solo Machina structa nitet.
 Fundamenta, bases, postes, ac atria vasta,
 Ac omnis paries, limina, tecta, trabes,
 Ornamenta Domûs sunt donum PRINCIPIS hujus,
 Ac Majestatis maxima signa suæ,
 Hæc Fundatorem demonstrant omnia KOSTKAM,
 Et Lux illorum Jaspide tota fluit.

II.

Ipsa vero Civitas aurum mundum Ibid.
 Inter convexi fertur miracula mundi,
 Regis Medorum Fabrica Summa nimis.
 Bz Quod

Quod nihil ad formam muri calcaria, fornax,
 Calcis perfusæ contulit, atq; dedit.
 Sed cunctos lapides, lateres perfuderat aurum,
 Omnia splendebant aurea tecta, sinus,
PRINCIPIS atq; Ducis dum magna Palatia specto,
 Ejus quæ Musis spontè Sacravit amor.
 Ista loco calcis, gemmis pensantur, & aurō,
 Obryzo constant omnia Signa Domus
 Censeri possunt inter miracula mundi,
 Prodigium majus Præsulis ampla Manus,
 Auri quæ tantum pro doctā Pallade fudit,
 Quantum fuderunt Sæcula nulla priùs.

III.

Simile vitro mundo Ibidem.

QUamvis Jerusalem Cælestis splendet ab auro,
 Cujus adest similis lucida forma vitro,
 Non tamen est fragilis formæ, sed tota perennis,
 Illius durat gloria; fama, decus.
 Sic quamvis aurum de dextra PRINCIPE latum,
 Munditiam vitri præferat atq; notet:
 Non tamen ex illo pro Musis Fabrica structa
 Est fragilis, potius, tota perennis erit.
 Quamq; diu stabit perfecta scientia mundi,
 Tantum durabit Bibliotheca diu.

Vel

Vel si constructam corruptent tempora sedem,
 Non corruptetur PRINCIPIS altus honor.
 Non corruptentur virtutis præmia veræ,
 Deficit nunquam Gloria , Gentis amor:

IV.

*Et murus Civitatis habens fundamenta duodecim, & in
 ipsis duodecim nomina Apostolorum AGNI Apoc: 21.*

Fundamenta suæ molis, quæ sacra tenebat
 Jerusalem: pariter Nomina Summa tulit.
 Illorum Divum quos AGNUS rexit Olympi,
 Propter eosq; simul pertulit arma Crucis.
 Fundamenta Domus, Doctæ Sacrata Minervæ,
 Quid precor ostendunt? Nomina Magna ferunt:
 Nomina præsentant Magni PASTORIS. & AGNI,
 Numina præsentant PRINCIPIS, atq; Mitræ
 Nec tantum duodena refert hæc Nomina sedes:
 AGNUS enim JUNOSZ Nomina plura dedit
 Quæ si perfectè Lechico numerabis in Orbe,
 Non his sufficient omnia tecta Domus
 Nominibus tantis totus non sufficit Orbis,
 Illos non capiet Bibliotheca magis:
 Attamen ornabunt cælestem Palladis ædem,
 Exornant sicut sydera densa Polum,

Agri-

Assistent AGNO, Bisseni more SENATUS,
Ac applaudebunt ædibus, atq; Libris,

V.

*Et qui loquebatur mecum, habebat mensuram arundineam au-
ream, ut metiretur Civitatem, & portas ejus, & murum
&c. Et mensus est Civitatem de arundine aurea
& portas ejus, & murum Ibidem v. 15.*

UT notus Sanctæ constaret terminus Urbis,
Nuntius è Cæli cardine mensus eam.

Aurea mensuræ manibus præfulsit arundo,
Hæc dimensa fuit pondera tanta Domus.

Si vis murorum, portarum tangere metam,
Quos in se grandis Bibliotheca , tenet.

Si vis metiri plateas, atria vasta,
Vix hæc metiri sæcula multa valent!

Si verò mentem metiri PRINCIPIS audes ?
Augeri quantum Palladis ardet Opus!

Hæc nullam patitur mensuram, limite nullō
Clauditur, immensum cogitat, atq; cupit !

VI.

Et Civitas in quadro posita esset. Ibid. v. 16.

URbs ut Jerusalem de muris fortior esset,
Quadratum tenuit Machina totâ situm,

Nam quidquid formam quadratam servat habetq;
Illiud forte, potens nescitur esse magis.

PRIN-

PRINCIPIS excelsam si recte conspicis ædem,
 Quadratâ forma fortior, atq; potens
 Unde potest hostis melius confundere tela,
 Et poterit quoduis frangere sola malum.

VII.

Et longitudo ejus tanta est, quanta & latitudo Ibid. v. 16.
Seu longam formam, seu latam conspicis Urbis;
 Æquales ambæ conditione, modo:
 Palladis ampla Domus formam hanc conservat utramq;
 Tantum longa manet, lata quot, ornat Opus.
 Hac forma longa contingit culmina Cæli,
 Et lata penetrat vasta profunda Soli.

D E P A R I E T I B U S B I B L I O T H E C Æ.

Porro aurum erat probatissimum, de cuius laminis texit domum,
 & trabes ejus, & postes, & parietes, & ostia,
 2. Par. 3. v. 7.

I

REx Salomon populi Dilecti magna Corona,
 Quam Domino grandem struxerat arte Domum:
 Hæc ornata fuit permundo intrinsecus Aurô,
 Trabs ibi, tum paries aureus omnis erat:
 Aurea fulgebant cum postibus ostia cuncta,
 Auri plena fuit pondere tota Domus.
 Quam Domino, Regno, populis & Gentibus Orbis,
 PRINCEPS KOSTKA sacram, struxit amore Domū:

Hæc aurō simili purō vestita resulget,

Hic omnis paries, aureus atq; trabes.

Hic postes, portæ, fulgent intrinsecūs auro,

Aurea resplendent ostia, tecta, sinus.

Nam Libri innumeri venæ sunt nobilis auri,

Quō nihil eximiūs, pulchriūs Orbis habet:

Quisq; Liber, Tomus, præclarum quodq; volumen

Est aurum, superans cuncta metalla Soli.

His dum tota Libris resplendet Palladis ædes,

Aurea perfectè, splendida tota manet.

II.

Et cœlavit Cherubim in parietibus: Ibidem:

Qui paries templi cludebat signa vetusti,

Cœlatum Cherub frontis in axe tulit,

Qui paries Sacræ componit Palladis ædes,

Non unum Cherub monstrat habetq; simul.

Sed totas acies, legiones, atq; phalanges,

Cœlestis profert ordinis atq; Chori:

Quarum præsidiis hæc moles tota dicata,

Fiat ut in primo firmior illa statu.

III.

Et omnes parietes Templi per circuitum sculpsit varijs cœlaturis, & tornis: & fecit in eis Cherubim & palmas.

3. Reg. 6. y. 29.

Æthæ-

A Therei prætèr Splendentia nomina Cherub,
 Quæ præsentabat Regia Sacra Domus:
 Et palmas etiam quavis sub parte ferebat,
 Ac per eas paries conditus omnis erat-
PRINCIPIIS exstructas si quis concenderis Ædes,
 Hic Palmas paries quilibet ecce refert:
 Sarmatiæ REGUM præsentat fortia gesta,
 AUGUSTI pandit Nomen utrumq; Potens:
 AUGUSTUS quantum fecit pro Lege SECUNDUS,
 AUGUSTUS quantum TERTIUS optat, agit!
 Istius Paries Molis monumenta reportat!
 Testatur clarè quantus uterq; fuit!
 Et post quantus erit, Gentem tutando Polonam,
 Saxones veram spontè docendo fidem
 Fundando Genti Saxonum, templa stupenda
 Ut melius vigeat Gloria summa DEI.
REGINÆ pariter lucent híc signa MARIÆ,
 Resplendet zelus, candor, & ampla Fides.
 Ac diffusa manus, cunctos quæ pascit egenos,
 Ac aurô multò plurima Templa tegit.
 Quotquot Sarmatiæ Reges luxêre Ducesq;,
 Heròës quotquot Gens tulit, atq; solum.
 Hie Paries quivis Martem præsentat Eorum,
 Bellonam quævis Pars docet, ampla Domus.



*Et picturas varias quasi prominentes de pariete,
egredientes. Ibid.*

Prima Domus puro non tantum fulsit ab auro,
Picturis etiam pulchra venusta fuit.

Si Doctæ sedis partes lustraveris omnes,
Picturis miris quælibet ampla nitet.

Quantas nec Princeps Pictorum ferret Apelles;
Nec similes unquam tempora nostra vident.

Ast hic nulla patet Veneris fætentis imago,
Nunquam comparent sordida fana Jovis.

Excluduntur abhinc fasorum signa Deorum,
Hic veri prostant signa tremenda DEI.

Hicq; locum primum Divina scientia servat,
Artis post omnis splendet imago Sacra.

Picturas plures, si quis quæsiverit ultra?

AUGUSTI Regis Maxima Cera patet!

REGINAM pariter profert Pictura MARIAM,

AGNUS, post reliquum pingit, & ornat Opus.

D E P O R T I S,
B I B L I O T H E C Æ
S Y M B O L U M X V.

Portarum Bibliothecæ, sunt portæ Civitatis Ierusalem juxta
illud Apoc: 21. v. 12. Et duodecim Portæ duodecim Margarite
sunt, per singulas, & singula erant, ex singulis Margaritis,
MARGA,

M A R G A R I T A I.

Primæ Portæ BIBLIOTHECÆ:

ET SYMBOLVM. XVI.

Est Adamas cum Lem: Ex me decus advenit orbi.

GEmmarum Princeps Adamas, Rex atq; corona,
Ex hoc Supremi carpit honoris opes:

Quòd de se veniat radians lux, & decus orbi.

Quod de se veniat gloria tota solo:

Gemmarum PRINCEPS, DUX, & Regina suprema,

An non est Libris Bibliotheca nitens?

Ex hac lux cœlis, ex hac lux provenit orbi,

Ex hac Regnorum gloria summa decus,

Hæc est Regnorum, Regum Regina Corona,

Hæc est Imperijs lux, diadema, Thronus.

M A R G A R I T A II.

Portæ Secundæ BIBLIOTHECÆ:

ET SYMBOLVM VII.

Est ACHATES, cum Lem: Ægra Lumina sovet:

INFirmos oculos perfectè sanat Achates,

Atritæ luci lumina pura refert:

Magna nitet virtus præclarum munus Achatis,

Prodigium majus Bibliotheca patrat:

Hæc non carnales oculos visumq; serenat,

Ait oculos mentis perficit, atq; probat.

M A R G A R I T A III.

Portæ Tertiæ BIBLIOTHECÆ.

E T S Y M B O L V M X V I I I .

Est Carbunculus, cum Lem: Arcano non læditur igne.

I N terno quamvis flagrat Carbunculus igne,

Nec se nec mundi lædere membra solet,

Ignibus ingenij Librorum condita sedes,

Continuo flagrat, nec tamen igne nocet.

Sed tantum doctas mentes accedit ad omnes,

Virtutis dotes, obsequiumq; Poli.

M A R G A R I T A IV.

Portæ quartæ BIBLIOTHECÆ,

E T S Y M B O L V M X I X .

Est Ceraunius seu Brontia. cum Lem: Dat tacta soporem.

B Rontia prædulcem membris dat tacta soporem,

Corpora conciliat fessa labore gravi.

Cûi semel arrisit revolutio sacra Librorum,

Cûi gustum fecit Bibliotheca docens

Illa suô gremiô gratum dat lecta Soporem,

Sensibus, & menti dulce cubile manet.

M A R G A R I T A V.

Portæ quintæ BIBLIOTHECÆ.

E T S Y M B O -

E T S Y M B O L V M X X.

Est Corallium, cum Lem: *Venena detegit.*

HÆc est perfecti constans natura Coralli,
Quod retegat proprio cuncta venena sinu.

Hâc virtute nitet, simili donatur honore,
Omnibus excellens Bibliotheca Libris.

Hæreticæ fraudis prodit perversa venena,
Pestiferum quidquid cernitur, illa necat.

M A R G A R I T A VI.

Portæ Sextæ BIBLIOTHECÆ.

E T S Y M B O L V M X X I.

Est Crystallus, quæ res obvias colorum varietate, spectan-
das repræsentat cum Lem: *Omnia fulgore trahit.*

AD se cuncta trahit, Crystallus luce nitente,
Omnia præsentat corpora, gesta, modos.

Attractiva magis virtus est tota Librorum,

Nam mentes ad se, pectora cuncta trahit.

Omnia præsentat, quæ cœlum terra recondit,

Omnia demonstrat facta stupenda DEI.

M A R G A R I T A VII.

Portæ Septimæ BIBLIOTHECÆ,

E T S Y M B O L V M X X I I.

Est Gemma Enydros dicta cum Lem: *Indeficiens manat.*

Enydros

ENydros tantas pluvias diffundit Aquarum,
Ut Gemmam, fontem dixeris esse novum:
Sic indeficiens manat Fontana Librorum,
Effundit doctas fontis ad instar Aquas.
Ac illis placide totum circumfluit orbem,
Quilibet, ut vivis his satietur Aquis.

M A R G A R I T A VIII.

Portæ Octavæ BIBLIOTHECÆ,

ET SYMBOLOVM XXIII.

Est Lydius lapis cum Lem: Hoc fides: virtusq; probatur:

Hoc saxo perfecta fides virtusq; probatur,
Hoc auri pretium denotat atq; docet:
Virtutem veramq; fidem quicunq; probare,
Vult JUNOSSARUM; Bibliotheca docet
Lydius hic index non est querendus ad aurum,
Indicat hinc totum Bibliotheca bonum:
Ex hac vera fides, & virtus summa probatur
Ex hac in Regnum cultus & amplius amor!
Hac commune bonum totius cernitur orbis,
Ex hac JUNOSSAS sacula cuncta scient.

M A R G A R I T A IX.

Portæ Nonæ BIBLIOTHECÆ,

ET SYMBOLOVM XXIV.

Est Gemma Opalus, cum Lem: Dat lumen & auget.
Vnica

(23)

Unica Gemma Opalus, splendore, nitore colore,
Diversas Gemmas exhibet atq; refert:
Unica Bibliotheca tot exhibet, una nitores,
In se quot profert dogmata, scripta, Libros,
Quot genera, & species, quot sunt pia signa sciendi,
Tot sunt illius lumina, sceptræ gradus!
Omnia complectens sublimia Scripta Librorum,
Omnia delectat Regna nitore suo.

M A R G A R I T A X. Portæ Decimæ BIBLIOTHECÆ.

E T S Y M B O L V M XXV.

Est Gemma Turcois dicta, per quam morbi interni sanantur,
cum Lem: Interno medicina dolori.

Turcois interno prodest medicina dolori,
Ocultis morbis proficit, atq; juvat.
Spiritus internus quantô mærore, dolore,
Conficitur quantis roditur ille malis!
Dicere nemo potest, sed quem prædicta catastæ,
Aggravat, hic totum ferre, loquiq; valet.
Spiritui tantis morbis persæpe scatenti,
Tradere sola modum Bibliotheca potest;
Vermibus internis, & morbis illa medetur,
Mentibus affictis, pharmaca sola parat.

MARGA-

M A R G A R I T A XI.

Portæ Undecimæ BIBLIOTHECÆ.

E T S Y M B O L V M XXVI.

Est Gemma Prasius dicta cum Lem: Decolor præsente veneno.

Decolor est Prasius fædo præsente veneno,
Ablato, primi signa coloris habet:
Bibliotheca Sacræ Fidei, fortissima vindex,
Advertit quoties spurca venena mali:
Decolor efficitur, vultûs cuncta pudore,
Tota riget, pallet, tota nitoris inops.
Ablatis vero Fidei, Regniq; venenis,
Ad primæ lucis signa, sinumq; redit.

M A R G A R I T A XII.

Portæ Duodecimæ BIBLIOTHECÆ.

E T S Y M B O L V M XXVII.

Est Gemma Onyx, cum Lem: Albo nigroq; colore relucet.

Albô pollet Onyx, pariter nigrôq; colore,
Bibliothecarum forma, figura typus:
In folijs illæ præsentant sæpè colorem
Album, sed nigrum Litera scripta docet:
Non tamen internum candorem dicta nigredo,
Deformat, potius disagregat, atq; docet.

MARGA-

M A R G A R I T A

Universalis & Suprema omnium Portarum.

JAm tandem dedimus Portarum Lumina, Gemmas,
Sed tamen ad Portas, unica Gemma decet.

Hanc si tot Gemmis porrectis demus ad augem,
Perfectum, totum, nobile stabit Opus!

Hanc Gemmam de me si quæris? KOSTKA Supremus
PRINCEPS, est talis maxima Gemma Decus.

Hanc Gemmam Portis, si nunc affixeris unam,
Omnia constabunt pulchra Serena, nimis!

D E F E N E S T R I S
B I B L I O T H E C Ā

*Cumq; transissent quadraginta dies, aperiens Nōe fenestram Arcæ,
quam fecerat, dimisit corvum, qui egrediebatur
& non revertebatur. Gen: 8. v. 6.*

I.

CUm jactaretur Supremis fluctibus Arca,
Et cuperet terræ signa videre Nōe.

Dimisit corvum reserata parte fenestræ,
Inquisitum littora certa soli.

Sed tamen is Corvus sacra dimissus ab Arca,
Ad proprium nidum non fuit indè redux.

Bibliotheca gerit similes clarasq; fenestras,
Per quas Oceanum tota videre potest:

D

Et

Et per eas corvos vastum dimittit in orbem,
 Hoc est Hæreticos mittit ad antra Libros.
 Qui semel emissi, nunquam tolerantur in illa,
 Talibus à corvis Bibliotheca vacat.
 Omnes h̄ic puræ, claræ mundæq; fenestræ,
 Has nullus corvus, noctua nulla tenet.
 Vel si qui rabidi corvi servantur in illis;
 Clauduntur strictis, perpetuisq; feris.
 Nè mentes doctas corrumpant peste veneni,
 Sæpè quod ingenij, per sua scripta ferunt.

II.

*Emisit quoq; Columbam post eum, ut videret si jam cessassent
 Aquæ &c. at illa venit ad eum ad vesperam, portans
 ramum olivæ, virentibus folijs in ore suo. Ibid. v. II.*

QVâ corvus fuerat dimissus fronte fenestræ
 Hâc simplex fuerat missa columba brevi.
 Et rediens tulerat ramum florentis olivæ,
 . Per quem mostravit signa cadentis Aquæ.
 Bibliotheca sacras quas fert, gestatq; fenestras,
 Nonnè columbarum limina Sacra patent?
 Per quæ simplicitas fidei, zelusq; relucet,
 Quâ JUNOSSARUM promicat ampla Domus.
 Per quæ Sarmatico pax manat candida Regno,
 Templis, & fidei, pacis oliva viret.

Ex Arcæ

Ex Arcæ primæ, sicut pax sacra fenestra,
 Fluxerat in vasti climata cuncta soli.
 Ex Arca pariter repleta Mole Librorum,
 In totum mundum, pax veneranda fluit.
O quam felices, sanctæ, faustæq; fenestræ!
 Per quas de Libris munera tanta cadunt!

III:

Aperi fenestram Orientalem. 4ti Reg: 17:

HÆc Orientalis quid sit, reseranda Fenestra?
 Anxius in primo limine sensus adest.
Biblio-dum-thecæ prostat mihi dulcis Imago,
 Hæc orientalis credo Fenestra mihi.
Ex qua lux mentis, resplendet sicut ab ortu,
 Quælibet hic oriens, pura Fenestra mihi:
Hanc aperi PRINCEPS, aperi COMES atq; Minister.
 Regni Sarmatici Gloria, Lumen, Amor:
Mox Regno præclara dies splendebit & aris,
 Mox Oriens verus, Gentibus orbis erit!

IV:

*Qui sunt isti, qui ut nubes volant, & quasi Columbae
 ad Fenestras suas.* Isa: 60.

Bibliotheca tuas dum pronus adoro Fenestras,
 Limina dum cunctis jam referata colo:

Quæro quid isti sunt? qui tanquam pendula nubes,
 Ad te concurrunt, perpetuoq; volant?
 Qui tanquam celebres puro candore columbæ,
 Signa fenestrarum cingere cuncta petunt:
 Cum de me quæris, qui nunc mea tecta frequentant?
 Atq; fenestrarum claustra videre student?
 Bibliotheca Tibi sensum ZAŁUSCIA reddo.
 Responsumq; meum cordis ab arce fero.
 Qui mea tecta fores invisunt, atq; fenestras,
 Sunt Reges Magni, Lumina summa Throni!
 PRO-REGES, Magniq; DUCES, primiq; Ministri,
 Ampla SENATORUM tota corona volat.
 Huc cuncti PROCERES, DOCTORUM lumina prima.
 More columbarum, nubis ad instar eunt:
 Quot Regnum populos, Gentes, Varsavia servat,
 Nullus adest, qui non istud adoret OPUS!
 Soli desidiam, simul otia vana sequentes,
 Hunc aversantur ferre videre locum:
 Vel quos invidiæ stimulus perstringit, & urget,
 Illi detrectant templa viderem.
 Sed somnolentos, pigros famæq; rapaces,
 Non voco sub postes Bibliotheca meos:
 Invidiâ vero qui vel livore gravantur,
 Illis omne meum porrigo, servo bonum:

Vtantur

Utantur si sponte volunt, si sponte recusant?

Tunc alijs potiar Bibliotheca Viris;
 Qui FUNDATORUM mentem pretiare Supremam,
 Atq; meum noscent concelebrare bonum.

V.

Ascendit mors per fenestras. Ier. 9. v. 21.

F Atidica Vates quas vidit mente fenestras,
 Ascendit per eas, mortis imago ferax.

Biblio - quas - thecæ spectas recolisq; fenestras,
 Ampla per has mundo vita ; salusq; fluit.

Nam sedes Grandis Sacrorum plena Librorum,
 Vitæ non mortis, dona beata creat.

VI.

Vox cantantis in fenestra. Soph: 2.

O quantum miseræ sunt illæ credo fenestræ!

Per quas cantantis vox resonare solet.

Biblio - de - thecæ vastis clarisq; fenestris,

Non vox cantantis perstrepit, atq; sonat.

Sed FUNDATORIS vox est Suprema DOCENTIS!

Sed JUNOSSARUM provocat AGNUS Oves :

Ut quæ prospiciunt per claram quamq; Fenestram;

Non cantent, potius menda patrata luant,

Et discant, quidquid non dum didicere salutis,
Hoc etenim quævis fixa Fenestra docet.

VII.

Beatus vir qui in Sapientia morabitur, & qui in justitia sua meditabitur, & in sensu cogitabit circumspetionem DEI. Qui excogitat vias illius, in corde suo & in absconditis suis intelligens, vadens post illam quasi investigator, & in vijs illius consistens, qui respicit per fenestras illius. Eccl: 14.

IN cujus gremio Sapientia vera moratur,
Continuo studio, qui meditatur eam:
Quicq; per illius spectat, discendo fenestras,
Ille DEI Sacro jure beatus adest.
Palladis ista Domus certè Sapientia vera,
Hæc igitur nostris est meditanda viis.
Prospicienda per ipsius pia vita fenestras,
Et verè nostrum quisq; beatus erit.
His etenim residet Sapientia summa fenestræ,
Et quis eam nolet corpore, mente sequi?

VIII.

Demisit eos per funem de fenestra. Ios: 2. v. 16.

PEr sua, cauta Rahab salvavit signa fenestræ,
Exploratorum facta suasq; vias.

Ista

Ista Rahab , per eam post hac salvata, fenestram,
 Dum jaculis, armis, Urbs sua capta fuit.
 Si potuit Mulier tantum fecisse fenestra ?
 O quantum Virgo Bibliotheca potest !
 Illa suis salvat , munit, cingitq; fenestris ,
 Contra quos hostis, bella superba movet.
 Nam quorum mentem peccatis orcus inumbrat ,
 Hic illustrat eos quæq; fenestra satis.

DE LUMINE, BIBLIOTHECAE.

I.

*Et Civitas non eget Sole, neq; Luna, ut luceant in ea , nam
 Claritas DEI illuminavit eam , & Lucerna ejus
 est AGNVS. Apoc: 21, v. 22.*

FUndatæ Moli quamvis Sol lumina præstet ,
 Et quamvis lucis Cynthia dona ferat :
 Et quamvis illam multæ, nitidæq; fenestræ ,
 Ex omni cingant parte, sinuq; suo :
 Attamen ex ipsis nondum lux integra crescit ,
 Majorem lucem Bibliotheca petit ,
 Lux sua quæ major, lumen quod clarius illi ?
 Est lux Ipsius summa Beata DEI !

Hæc

Hæc lux Clara DEI radijs illuminat illam,
 Occultaq; sua lege serenat eam:
 Postq; DEI Lucem, totum ZAŁUSCIUS AGNUS,
 Illustrat meritis, atq; serenat OPUS!
 Ille suæ moli præfulget Clara Lucerna,
 Ex Agno fruitur Bibliotheca die.

II.

Illustrare volunt Superum qui Templa sacrata,
 Multa lucernarum millia sæpè ferunt:
 Bibliotheca pares non quærit sola lucernas,
 AGNUS sufficiens crede Lucerna sibi,
 Hic totam sedem virtutum luce coronat,
 Hoc AGNO radians, angulus omnis adest.

III.

Qui Regnis, Populis, miranda palatia condunt,
 De longè debent quærere lucis opes:
 JUNOSSÆ quidquid magnum, vel nobile, fundant,
 Lucis habent veræ, munera larga domi,
 AGNUS enim proprium JUNOSSIS stemma, Decusq;
 Omnem structuram, mira lucerna decet.

IV.

Et ambulabunt Gentes in Lumine tuo. Ibid:
 Quid nitidum lumen Phæbus, vel Cynthia pandit,
 Incedunt illô cuncta creata simul.

Illo

Illo ducuntur pecudes jumenta reguntur,
 Ejus ad exortum, surgit & omnis Avis.
 Bibliotheca sacro quod profert lumen ab AGNO,
 Et quod de folijs procreat atq; Libris:
 Hoc cunctæ Gentes, Populi Mentesq; reguntur,
 Ambulat hoc ipsô, solus & unus homo
 Quotquot prodibunt de terræ viscere Gentes,
 Lumine prædicto se, sua Regna regent.
 Bibliotheca regit proprio si lumine Gentes?
 O quam Divinus Luminis ejus honor!

V.

Et Reges terræ afferent gloriam suam, & honorem in
 illam. Ibid: v. 24.

Cunctorum Regum quando Tibi gloria cedet,
 Implebitq; Tuos Bibliotheca sinus:
 TERTIUS AUGUSTUS non detrectabit honorem,
 Ferre sui Sacri Luminis, atq; Domûs:
 Tam Magni REGIS dum Te lux cinget, honorq;
 Quærere quid majus Bibliotheca potes?

DETECTO BIBLIOTHECÆ.

I.

Postquam omnia perfecta sunt, operuit nubes tabernaculum te-
 stimony, & gloria Domini implevit illud. Nec poterat
 E Moyses

*Moyses ingredi tectum fæderis, nube operiente omnia, &
Majestate Domini coruscante, quia cuncta nubes ope-
ruerat.* Exod: 4. v. 24.

Cum Testamenti, populi Dux perficit aram,
Gloria cælestis summa replevit eam:
Ambivit totum nubes densissima Tectum,
Majestasq; DEI tota beavit Opus.
PRINCEPS KOSTKA Sacram postquam pro Pallade sedem,
Magnifico sumptu, condidit ære gravi;
Mox implevit eam nubes splendoris, honoris,
Ambivit Tectum gloria mira suum:
Quæ de diffuso dimanat, fulgurat auro,
Et quæ de Ceris lucis imago nitet.
Quæ de Sacrorum prodit virtute Librorum,
Quæ de DOCTORUM promicat aura notis.
Omibus ex istis, quamvis sit gloria Tecti,
Quamvis ex auro forma, decusq; fluat.
Gloria sed major de Majestate Duorum.
Hic FUNDATORUM, promicat atq; patet.
Hæc Tectum, totamq; Domum vestivit honores
Hæc tanquam Nubes maxima cinxit eam!

II.

*Facies est saga cilicina undecim, ad cooperiendum Tectum
tabernaculi.* Exod: 26. v. 6.

Dum

(35)

Dum condenda sibi Dominus tentoria mandat,
Ut cōperta forent per saga crassa jubet :
Hoc est de cilico texto pannoꝝ parata,
Tectis velandis apta futura suis.
KOSTKA Pius PRINCEPS, dum docta Palatia fundat,
Ædem dum Sacram condidit Ipse Libris.
Jam non de cilico texto velamina pandit,
Ex AGNI proprij vellere tecta tegit.
Circundat totum Tectum ZAŁUSCIUS AGNUS,
Exambit summos aurea lana sinus,

III.

Tanquam passer solitarius in recto. Psal: 106.

Mens humana cupid, si quæ descendere tecta,
Ad tectum proprium Bibliotheca vocat,
Isto sub Tecto residens mens tuta quiescet,
Hic tanquam passer sola manere potest,
Et plūs hic discet, quam tectis passer in amplis,
Fiet continuò doctior, atq; docens.
Nam non passeribus prostat tam Nobile Tectum,
Hic est DOCTORUM meta, Sacerq; locus.

IV.

Et quod in aure auditis, prædicta super Tecta Math: 10. v 27.

Quid Vidquid DOCTORUM vox clamans dicit ad aures,
Hoc supra debet dicere tecta soli :

E 2

Istud

Istud mandatum PRINCEPS ZAŁUSCIUS implet,
 Observat legem tota propago sua.
 Nam quidquid Sanctum populo dicebat ad aures,
 Prædicat hoc supra condita Tecta Palam.
 Biblio-de-thecæ fundens Oracula tectis,
 Ac implens doctis omnia Regna bonis.
 Jam sonus illius totum prodivit in Orbem,
 Jam fines terræ Bibliotheca replet.

DE ATRIO SEU PORTICU BIBLIOTHECÆ.

Et ædificavit Atrium interius, tribus Ordinibus lapidum politorum, uno ordine lignorum Cedri. 3. Reg: 6. v. 46.

I.

QVOS Templi primi capiebat forma decores,
 Inter eos Atrii cultus amænus erat.
 Nam tribus Ordinibus, lapides gemmasq; politas,
 Adjunctâ Cedro, Fabrica dicta tulit.
 Quod PRINCEPS Atrium numeroso condidit aurô.
 Regis Idumæi semper adæquat Opus:
 Hic etenim fulgent lapides, gemmæq; politæ,
 Hic Florent lauri, palma virensq; Cedrus.
 Gemmæ nascuntur de doctis frontibus, atq;
 Assiduo lapides crede labore rigent.

Laurea

Laurea DOCTORUM quoties hic ferta feruntur,
 Tot lauros virides atria sacra gerunt!
 Ex immortali fundatae molis honore,
 Promicat æternum gloria vera Cedri.

II.

Quam dilecta tabernacula Tua Domine virtutum; concupisit
 & deficit anima mea, in Atria Domini. Psal: 83.

Quam dilecta tui veneranda Palatia splendent!
 Ædes quam pulchræ Bibliotheca tuæ!
 Dicere lingua nequit, sensus mihi deficit omnis,
 Ornamenta tui quando stupenda patent,
 His mea mens, animus postquam succensus adhæsit,
 Concupijt mirè, tanta videre bona!
 Atq; tuis Atriis poscit residere per ævum,
 Et nisi possideat, turbida, tristis erit.

III.

Melior est dies una in Atrijs super millia. Psal: 83.

Quatuor in vasti quæsivi partibus Orbis,
 Utrum possit ubi, vera manere quies?
 Lustravi solidè primi cunabula solis,
 Occiduum vidi svave cubile suum.
 Transivi Gentes, terras Aquilonis, & Austri,
 Caucasus in promptu, mons & Olympus erat:
 Lustravi tandem gemmata Palatia Regum,
 Et quidquid summum maximus Orbis habet:

Nullib[us]

Nullibi sed reperi , veram doctamq; quietem,

Nullibi constanter pax veneranda viget.

Omnia perpetuo quatiuntur fulmine belli,

Omnia turbinibus , fraudibus , atq; malis.

Cum mihi nulla quies toto constaret in orbe,

Mox atrijs hæsi Bibliotheca tuis :

Et cùm vidissem, quòd sint híc Atria pacis,

Quòd pacem spiret, quodq; volumen, Opus:

Quòd docti Tomi, Scriptores, atq; Magistri,

Exhibeant menti gaudia vera meæ,

Quòd tantæ sedis Præses ZAŁUSCIUS AGNUS,

Omnia pacifici PRINCIPIS acta gerit :

In dictis Atrijs statui quæsse quietem ,

Hoc Atrium, solium , meta cubile meum !

Hic requies nidusq; meus , per sæcula mundi ,

His habitabo Atrijs Bibliotheca tuis !

Hic mihi nam posito, melior pacatior instat ,

Omnibus innumeris millibus , una dies !

IV.

Et nubes implevit Atrium interius. Et elevata est gloria Domini desuper Cherub, ad limen Domus , & repleta est Domus nube , & Atrium repletum est splendore glorie Domini.

Ezech: 10. v. 3.

QVæ nubes olim , quæ cinxit gloria Tectum ,

Hæc Atrium cingit Bibliotheca tuum :

Angulus

Angulus h̄ic omnis , pars h̄ic est omnis honore ,
 Plena: simul cunctis æqua corona patet
 Seu scandas Atrium , penetres seu viscera molis ,
 Splendoris nubes omnia signa replet :
 Ut FUNDATORIS , proprio splendore coruscas ,
 Palladis has Ædes, ære dedere suo :
 Atria confimilem voluerunt ferre nitorem ,
 Ut totum radians , luceat istud OPUS !

DE SPECULIS BIBLIOTHECÆ.

*Si quis auditor est verbi, & non factor, hic comparabitur Vi-
 ro consideranti vultum nativitatis suæ in speculo, conside-
 ravit enim se & abiit, & statim oblitus est, qualis fuerit.
 Iacob: Cap: 1, v, 23.*

IN proprijs speculis qui curant cernere vultus ,
 Hi nihil ex visu mentis habere solent .
 Sed vix se spectant , obliviscuntur eorum ,
 Quæ sibi per speculum nota fuere prius .
 Tota quibus speculis resplendet Palladis Ædes ,
 Non oculis tantùm , talia signa refert .
 Sed mentem studiumq; monet conspecta tenere ,
 Impleat ut factis omnia visa suis .
 Immensam molem profert monstratq; librorum ,
 Ut Lector faciat , quæ sibi lecta placent .

DE PAVI.

DE PAVIMENTO BIBLIOTHECÆ.

I.

*Stravit quoq; Pavimentum templi pretiosissimo marmore, decoro
multo. 2. Paral: 3. v. 6.*

AUrō qui totam Sapiens Rex cinxerat Ædem,
Ille Pavimenti marmore texit Opus:
Sic noster PRINCEPS, postquam profuderit Aurum,
In cunctas partes Palladis, atq; sinus.
Signa Pavimenti stravit de marmore multo,
Ut solidas habeat Bibliotheca vias.
Ut duraturam præstent hæc marmora sedem,
PRINCIPIS ut tanti fama, perennet Opus.

II.

*Ecce Pavimentum! animadverte cujus vestigia sint hæc.
Dan: 14. v. 18:*

Ecce Pavimentum! cujus vestigia sunt hæc?
Sunt KOSTKÆ Magni, PRINCIPIS atq; Ducis.
Unde Pavimentum quoties calcabitur istud,
Ex illo Magni signa legenda Ducis.
Nonq; Pavimentum solum vestigia monstrat,
Omnia quæ spectas sunt Monumenta sui

Ornamen-

(41)

Ornamenta Domûs sunt signum PRINCIPIS hujus.

Ac Majestatis Fabrica tota patet:

Quod si de Regno quæras vestigia plura?

Hæc immensa patent, maxima, sancta, pia!

Quo gressum fecit RRINCEPS amplissimus Iste,

Communis monstrat signa stupenda boni.

DE PALATIO

Olim DANIEŁOVICIANO, postmodùm ZAŁVSCIANO;
donato pro fundanda BIBLIOTHECA,

Per

CELSISSIMUM PRINCIPEM

A N D R E A M
STANISLAUM KOSTKA,

EPISCOPUM Cracoviensem, DUCEM Severiæ.

In quo Palatio fundata est modo Bibliotheca ZAŁVSCIANA,
in ejusdem Palatii vertice ac summitate, erecta fuit
olim, speciali artificio Piscina, semper aquis redundans, ac
spectatoribus universis admirationem pariens.

I.

Xceltas Ædes quotquot Varsavia vedit,

Illa fuit pretiô, nobiliorę gradu:

Quæ præsentabat Piscinam in vertice Tecti,

Irriguam pleno littore fontis aquis.

F

Nam

(42)

Nam quisquis dictam Piscinam vidi in alto,
Admiratus erat nobilis artis Opus !
Qualiter in summo fundata culmine Molis ?
Piscinæ vivæ crescere possit Aqua ?
Si de Piscina fuerat laudabilis Aedes ?
Quam laudabilior jam modo prorsus erit ?
In qua non stagnans undis Piscina rotatur,
Sed mare DOCTORUM Bibliotheca fluit !
In qua squammigera non regnat copia gentis,
Sed sua DOCTORES grandia scepta gerunt :
Gloria quanta patet Fundantis PRINCIPIS inde ?
Qui de Piscina condidit ecce Mare !

II.

QVæ Piscina suo recreabat flumine tecta,
Unam non poterat vel satiare Domum.
Ex lymphis ejus biberat Varsavia nunquam ,
Pendentes tantum sæpe videbat Aquas.
Si Piscina suæ nunquam sufficerat Urbi ?
Toti non potuit par viguisse Solo.
Bibliotheca locum Piscinæ quando capessit ,
Amplius extendit littora , Sceptra , thronum !
Nam sacris undis veræ certæq; salutis ,
Orbis totius corda rigare potest :

Et

**Et rigat in facto, pluviæ rorantis adinstar,
Crescat ut in nostris maxima messis agris!**

III.

DE domibus propriis, Superis qui Templa sacrârunt,
In laribus propriis hi tenuere DEUM!
Pro Superis, Musis, donando Palatia PRINCEPS,
Hoc ipso propriam donat amore Domum:
Ex qua dum Superis, Musis sunt Tempa parata,
Nonne DEUM Princeps possidet Iste domi?

IV.

Stemna dictum Sas, erat insigne Domus Illustrissimorum DANIELOVICIORVM, nempe Luna cornibus fursum obversa, Stellas coloris aurei, ad cornua tenens: medium Lunæ quatit sagitta cuspidine prægrandi, ad sidera directa. Porro in prædictæ Domus Palatio, nunc ZALVSCIANO, fundata est BIBLIOTHECA.

QVÆ modo possedit donata Palatia Pallas,
Hæc exornabat Cynthia Stella duplex:
Solis honore tamen tam grandia Tecta carebant,
Hinc cogebantur querere sæpe diem:
Quando loco Lunæ, Stellarum, præsidet AGNUS,
His transformatis Ædibus, atq; Focis:
Ille gerit pulchre radiantis munera Solis,
Ille parit propria luce favente diem.

Hoc ipsum munus PRINCEPS Fundator adimplet.
 Et Lunam præfert Conditor, atq; COMES.
 Pro bina fixa, per Lunæ cornua, Stella,
 Innumeræ Stellas computat ista Domus.
 Nam tot DOCTORUM fulgentia Scripta nitore,
 Stellarum cæli, munus habentq; vices,
 Quot verò motus internos cordis, & oris,
 Inspirat tacito Bibliotheca modo.
 Tot mittit populi penetrantes corda sagittas,
 Ut studeant vi æ dogmata recta sequi.

DE NUMISMATIBUS.

Quæ Idem Celfissimus PRINCEPS, omnibus Scriptoribus, utilitatem Publicæ Bibliothecæ exponentibus, largissime distribuit.

I:

A Urea dum spargis numerosa Numismata PRINCEPS,
 Aurea Scriptorum verba fuisse probas :
 Munera tanta placent justè Scriptoribus istis,
 Sed pretium majus Bibliotheca patens !
 Fundamenta cui rara pietate dedisti,
 Ejus TU primus Fons, scopus, atq; lapis !
 Scriptores omnes hæc Grandis præmiat Ædes :
 Tu verò pretii summa, Coronis, Apex !

Maxi;

Maxima dum cāpiunt Regnorum culmina Reges,
Et dum suscipiunt sceptra, locumq; Throni,
Aurea pro Regno, pro Gente Numismata spargunt,
Ut terris propriis aurea sēclā ferant.

Dum capture fuit Regnum, sceptrumq; docendi,
REGINA exoriens Bibliotheca Libris:
En praxi REGUM, PRINCEPS ZAŁUSCIUS amplē,
Aurea distribuit munera, dona sacrat.
Ut clarē doceat, quōd Regno condita Sedes,
Aurea pro Doctis sēcula cuncta feret.
Nam si prima Domūs dictæ, cunabula splendent?
Aurō? quid majus tempora longa dabunt?
Aurea nempe dabunt DOCTORUM Lumina mundo,
Quorum semper erit Bibliotheca Parenſ.

Illa Numismata quæ CELSISSIMVS PRINCEPS Scriptoribus distribuit, præsentabant Serenissimum Invicissimum & Potentissimum Regem Poloniæ AVGVSTVM III.

Quæ dispensabat pretiosa Numismata PRINCEPS,
AUGUSTI fuerunt Gloria, Forma, Typus.
Sarmatici Regni qui Regnans sceptra gubernat,
SAXONUM PRINCEPS, Imperiiq; Decus!
Exornas tanto dum Rege Numismata PRINCEPS,
Ornari debet Bibliotheca simul. Quam

Quām vix ornabis Supremo Regis honore,
 Hāc quod nobilius mundus habebit Opus.
 Hic magnus PRINCEPS, Sanctus Rex, atq; Fidelis,
 Augebit dotes per sua sceptrā Libris:
 Absq; suo signo, qui stat ZAŁUSCIUS AGNUS,
 Erecto poterit sceptrā tenere pede.
 Bibliotheca potest, uti Regalibus armis,
 Et debet dici, Regia Magna Domus.

IV.

AUrea donando, t ibuendo Numismata DOCTIS,
 Sat dederas animi præmia digna TUI!
 Sed dum junxisti donis his Nomina REGIS,
 Jam majus pretium, gloria major adest.
 Nam signata Pio tradendo Numismata REGE,
 In pretium REGEM Te tribuisse patet.
 Applaudo vobis Scriptorum Nomina Magna!
 Quòd pretium vestrum REX PIUS esse sinit!

V.

Dum prædicta Numismata signata Serenissimo Rege Poloniae
 cuderentur, & traderentur Scriptoribus, Idem Serenissimus
 REX, erat pro tunc Sede vacante Vicarius Imperij
 seu PRO-CÆSAR.

MUnera Scriptorum non tantū REGIS honorem,
 Sed simul Imperij signa tulēre Sacri.

Nam

Nam qui REX regnat, simul Ille VICARIVS Orbis,
Romani fuerat: CÆSARIS acta gerens.

Magnus PRO-CÆSAR pro Majestate vocatus,

CÆSARIS: istius dignus in Orbe Throni:

Et si CÆSARUM voluisset prendre sceptrum,

Jam nunc regnaret CÆSAR utriq; Polo.

Dum Tua FUNDATOR, collata Numismata signat.

Magnus PRO-CÆSAR Nomine, Fronte, sinu!

Hoc ipso virtute sua , signavit & illa ,

Imperij Sacri tota Corona sui.

Illaq; sic Gemina de MAJESTATE resurgent

CÆSARIS & REGIS , gloria quanta Tibi !

Gloria quanta Tuæ Sedis Sacræq; Minervæ !

Quæ tot Nominibus facta serena, potens !

Dumq; sub Imperij splendet clarissima signis ,

Imperij credo Bibliotheca capax :

Nec tantum Lechiæ poterit Regina præesse ,

Imperio toti pandere jura potest.

VI.

Numismata Celsissimi PRINCIPIS distributa Scriptoribus ha-
buerunt Lemma, seu Inscriptiōem illam: DECUS & Præsidium.

PRæsidium sublime DECUS sacra dona ferebant,

Quæ dederas PRINCEPS præmia digna Viris :

AVGV-

AUGUSTI Virtus hoc signabatur honore,
 Qui Decus in Regno Præsidiumq; manet.
 Ex Illo Libris Suprema Corona, Decusq;
 Ex hoc Præsidij Culmen, Honorq; fluit.
 Hanc sibi participat Magno de Rege Coronam,
 Condita pro Regno Bibliotheca suo.
 Illa DECUS cunctis fulget sublimius astris,
 Illaq; PRÆSIDIUM Gentis, & Orbis honor!

VII.

Authorum quoties præstantis SCRIPTA laboris,
 Gratis & dignis, orba fuere bonis,
 Despondere suos majores ferre labores,
 Scribendi frixit fervor, amorq; prior.
 Vel si quid Regni scripserunt Nomine dignum,
 Hæc mens despondens omnia mersit Aquis.
 Quod si non mersit tinearum lingua momordit,
 Et lux ingenij nocte gravata fuit.
 Et de fatidicis præstantior una Sybillis,
 Ignibus addixit scripta suosq; Libros:
 Quod dignum pretium Romanus reddere PRINCEPS,
 Noluerit sacris Partibus, atq; Libris.
 PRINCIPE sub KOSTKA redijt felicior ætas,
 Aurea pro DOCTIS tempora sæclâ patent!

Nam

Nam dūm sudores preiat Scriptoribus amplis ,
Aurea dūm cunctis munera dona refert :
Non despondebunt præclara volumina ferre ,
Ornabunt scriptis Regna, Sacramq; Fidem !
Scribent &c dicent: PRINCEPS ZAŁUSCIUS istō
Annō, distribuit munera digna Dijs.
Aurea concessit miranda Numismata cunctis ,
Qui scripsere suæ docta trophæa Domūs
Biblio - qui thecam cinxerunt laudibus amplis ,
Et produxerunt gloria quanta sui !
Quantus sit fructus Genti, Regnoq; Polono !
Ex tam sublimi Palladis Arce , Domō.
Gloria quanta nitet REGIS, totius &c Orbis ,
Dum REGINA capit Bibliotheca Thronum.

VIII.

Idem Celsissimus PRINCEPS ANDREAS STANISLAVS KOSTKA, Bona sua hereditaria Okęcie dicta, pro dotatione Bibliothecæ assignat, ut ex eorum proventibus, continua auctio novorum Authorum procuretur, & inde sinenter Libris Bibliotheca augeatur.

NON tantum PRINCEPS miranda Palatia Musis ;
De proprijs gazis condidit, atq; dedit :
Perpetuam pariter Dotem concessit iisdem ,
Signavit redditus, prædia , lauta Bona.

G

De qui.

De quibus Authores prisci , pariterq; Recentes ,
 Acquiri quovis tempore , sole queant .
 Et sic augeri thesaurus , gaza Librorum ,
 Atq; Libris crescat Bibliotheca novis .
Dum tantō votō signāsti PRÆDIA PRINCEPS ,
 Dum tali confers maxima fine Bona :
 Bibliotheca Tuo proventu crescat in ævum ,
 Et tu perpetuus **CONDITOR** Ejus eris !
Nam quot succendent Annorum tempora , motus ,
 Quot venient soles , sæcula , lustra , dies ,
Omnibus his crescat fundatæ Palladis Aula ,
 Perpetuò crescat Bibliotheca Libris .
Cum Tu deficies , & claudes tempora fatô ,
 Hoc fatô nunquam Bibliotheca cadet .
 Ad finem potius Regni durabit , & Orbis ,
 Sed Tua dotandi gloria fine caret .

IX.

Præfata Bona hæreditaria , hōc fine donavit Celsissimus PRIN-
CEPS , ut ex eorum proventibus , Bibliotheca reparetur , &
perpetuò conservetur .

Qui castella , domos , vel summa Palatia condunt ,
 Qui fortalitijs Regna , solumq; tegunt :
 Nil faciunt magnum , proprio vel nomine dignum ,
 Si conservandis prædia nulla ferunt .

Nam

Nam quidquid condunt, totum corrumpitur illud;

Si conservandi causa, modusq; deest.

Non tali medio struxit cunabula Musis

Magnorum PRINCEPS Gloria KOSTKA Ducum,

Sed dum fundavit mirandam Palladis Ædem,

Illi servandæ contulit omne bonum.

Assignat redditus, proventus destinat amplos,

Ut conserventur limina, tecta Domus

Si quid corrumpet longævi temporis ætas,

Restituent damnum prædia lauta suum.

Condita qui mundo formosa Palatia servat

In fundamentis hæc simul ille creat.

Tu dum proventu servabis Palladis Ædes,

Ut non deficiant credo creabis eas:

Quod si perpetuò Musarum Templa creabis

Tu novus in terris, nonne Creator eris?

X.

Tandem præfata Bona hereditaria, eo fine dñavit Celfissimus
PRINCEPS, ut ex illis Præfctus Bibliothecæ annum sti-
pendium, & sustentationem habeat.

QVæ Bona donasti pro Sacra Pallade PRINCEPS,

Illorum finis terminus iste patet:

Ut tantæ Sedis Custos, Præfctus, & Index,

Ex illis vivat, præmia digna ferat:

Gz

Si re-

Si rectis PRINCEPS fundas stipendia servis,
 Servabunt Libris debita jura, fidem :
 Subdetur nunquam Tua Bibliotheca rapinis,
 Omnia constabunt integra, tuta Domûs.
 Et cum justitiæ sic servas munera strictè,
 Justitiæ PRINCEPS Cultor amator, ades.

XI.

Bona bæreditaria pro dotatione & conservatione Bibliothecæ collata, consistunt in Palatinatu seu Ducatu Mazoviaæ.

Terra sui vasti PRINCEPS Mazovia Regni,
 In se dum claudet Palladis ampla Bona :
 Biblio-pro theca fructus alimenta locabit.
 Et conservabit splendida tecta Domûs
 Bibliotheca pari secum certabit amore,
 Omnia pro Terra sic alimenta dabit.
 Ambo se nutrient, escis simul ambo cibabunt,
 Extingvent ambo flammea signa sitis.
 Terra dabit fructus terræ messisq; labores,
 Ingenii fructus Bibliotheca feret.
 Sed superabit opes terræ Doctissima Pallas,
 Nam majora dabit Bibliotheca bona.

Idem CELSISSIMUS PRINCEPS
Libros Suæ Bibliothecæ ex apparatibus Literarijs JOAN:
NIS III. Sobieski REGIS Poloniæ Incliti, ANDREÆ
OLSZO-

O L S Z O W S K I Primatis Regni, Inter-Regis Avunculi
sui, ANDREÆ CHRYSOSTHOMI PRINCI-
PIS S. R Imperij, Episcopi Varmiensis, Archi-Cancel-
larij Regni & LUDOVICI Episcopi Plocensis,
ZAŁVSCIORVM Patruorum suorum,
auctæ, infert in Bibliothecam.

I.

Postquam fundavit sacra Palatia PRINCEPS,
 Aurea dum Musis Templa, finusq; dedit:
 Biblio-quam thecam proprijs condebat in Aris,
 Hanc in fundatæ transtulit acta Domûs.
 Non satis esse docens dum Pallas cingitur aurô,
 Si non sit sacris cincta corusca Libris.

II.

QVOS Libros tenuit JUNOSSA PRINCIPIS Aula,
 Hi multi REGIS fonte JOANNIS erant:
 His licet Invicti REGIS monumenta fuissent,
 Fundatam sedem PRINCIPIS ornat Amor!
 Vixq; Sacræ Domui, tam digna volumina donat,
 REGIS ei confert magna trophæa simul:
 Infert cum libris, VICTORIS gesta, triumphos,
 Quos venerata fuit Roma, suumq; CAPUT.
 Quos nunc Imperij memorat Suprema Corona,
 Imperijq; DECUS grata Vienna colit.

Bibliothe-

Bibliotheca Libris, dum fulges sacra triumphis,
 Dum te præcingunt arma JOANNIS , amor!
 Ipsa triumphatrix magnum venerare JOANNEM,
 Et JANINA, Tuos servet ab hoste sinus,
 Bistonias acies, quod scutum fregit & arma,
 Conterat hoc hostes Docta Minerva Tuos.

III.

QVAM sedem Libri complerunt arma JOANNIS,
 Hanc & PRIMATIS Scripta Libriq; replent.
 Exornat meritis Princeps OLSZOVIUS illam,
 Addit ei famæ munera plena suæ:
TAM MAGNUM REGEM PRIMAS veneratur, & inquit.
 Si REX huc confert Palladis omne bonum?
 PRIMAS Sceptra sequor, REGEM comitabor amantem;
 Biblio - pro theca confero, dono Libros.
SUM Regni PRO - REX, Reges possumq; creare
 Palladis has Ædes nonne creare queo?
CUM donabo Libros has Ædes rite creabo,
 Fiat & ista Libris Aula creata meis!
QUAM dum REX, PRIMAS ornabunt fædere juncto,
 REGIS, PRIMATIS Regia munus erit.
QUOD tamen hic VICTOR congesit scripta JOANNES,
 Quod PRIMAS totum Palladis auxit OPUS:
PRINCIPIS hoc fecit Pastoris Gratia KOSTKÆ,
 Horum donorum Gloria KOSTKA , CAPUT.

IV.

REDEM, PrimateM sequitur CHRYSTHOMVS, ore
Aureus, & factis, aureus Ille Pedo.
Imperij Sacri sublimis Gloria PRINCEPS,
Quô Pastore suo Varmia tota nitet.
Qui dispensabat REGUM, Regniq; sigilla,
In se qui totas clausit honoris opes.
PRINCIPIS Istius pretiosa volumina KOSTKA,
Cuncta tuis jungit Bibliotheca Libris :
Te jam quid melius, quid jam pretiosius orbi?
Aurea dum tanti PRINCIPIS ora tenes!
Illiusr verbis, illius & ore loquaris,
Ipsius voces aurea facta tene.
Os sacrum REGUM fies; magnumq; Sigillum,
Ore Tuo REGES, Regia verba ferent.

V.

AD plenam totam Divinæ Palladis augem,
Affundit largas, & LUDOVICUS opes.
PRÆSUL PŁOCENSIS, Cathedrarum Gloria summa,
Ex quarum Rostris saepe locutus erat.
Ad quas pro Verbo Divino promptius ibat,
Quam dum Præsulei sumeret Astra Throni.
PRÆSULIS istius donavit KOSTKA labores,
Contulit & Libros Bibliotheca Tibi;

Illius

Illiſ Libris Tua lux fulgebit ut Astris,
Splendebit factis clarius illa suis.

VI.

Idem CELSISSIMVS PRINCEPS Cimælia sui Museoli, Bibliothecæ à ſe fundatæ, largiſſime conjuňxit & donavit,

IN quo Muſæo fuerant rarifſima quæq;
Quod clauſit totas Ordinis omnis Opes:
Pro quo ditando, ſudaverat Asia tota,
Africa monſtrorum niðus, & ampla Parens:
Europæ pro quo, certarunt plurima Regna,
Ac orbis gereret prælia magna novus.

Hæc de muſæo donat cimælia PRINCEPS,
His Te dotavit Bibliotheca Bonis.

Cùm tot tanta dedit PRINCEPS, dare quid valet ultra?
Se Tibi FUNDATOR Bibliotheca locat.

Illum pro pretio, pro donis ſume ſtupendis,
Ille liber morum, Regula plena Boni!
Pro quo tot Cathedræ certarunt, atq; Tyaræ,
Ambivit cujus terna Corona Caput.

Pro quo tot PROCERES certarunt Regna, Senatus
Quem totus ſequitur, poſtulat Orbis amor!
Ille Tibi preſum raroſum campus, origo
Si viſ quid raroſum? PRÆSUL id ipſe patet.

INSCRI-

INSCRIPTIONES

Rariorum Ornamentorum BIBLIOTHECÆ.

INSCRIPTIO I.

*Subtus Effigiem SERENISSIMI AVGVSTI III.
Regis Poloniae, in Bibliotheca expositam.*

Quantum Sol oriens, tenebroso proficit orbi,
Tantum REX AGNO prospicit atq; Libris!
Ut sine sole nequit, subsistere machina mundi,
Sic sine REGE nequit, stare Minerva diu,
Respice JUNOSSÆ Regnans AUGUSTE Minervam!
Illa Sacrata Tibi, firma perenis erit.

INSCRIPTIO II.

*Super Effigiem Viriusq; Amplissimi FVNDATORIS, una
compage junctam.*

Vos FRATRES junxit PODKANSCIA sangvine Mater;
Strictius hos junxit Bibliotheca modò,
Majores etenim nexus Sapientia gignit,
Quam de Materno sanguine sumpta caro:
Vincula majoris, virtus efformat amoris!
Quam lactis candor formaq; ferre potest,
Hoc probat amborum FRATRUM socialis Imago:
Quam simul unitam Bibliotheca refert.

Corpore sunt bini sed junctis cordibus unus;
Hos, unum fecit Palladis unus amor.

I N S C R I P T I O III.

Super duos Globos Geographicos in Bibliotheca contentos.

QUOD pupilla nequit, vel noster cernere sensus,
Id breviter nobis, monstrat uterq; Globus.
Altum proponit, longum, latumq; profundum,
Orbe sub hoc minimo, maximus Orbis adest,

I N S C R I P T I O IV.

Super Observatorium Astronomicum in Bibliotheca afferatum.

QVI nihil observas, & nunquam sidera curas,
Hic observandi perlege, disce modum.

Ex hoc cognosces Solis Lunæq; recursus,
Ex hoc, plana, brevis, constat ad astra via.

I N S C R I P T I O V.

Super Numismata Antiqua quæ in Bibliotheca conservantur.

DUM Tua cūdisti memoranda Numismata PRINCEPS,
Et dispensasti præ pietate Tua:

Cur modò conservas antiqua Numismata Gentis?
Clara satis fiet Bibliotheca novis!

Plus antiqua facit veneranda Numismata PRÆSUL,
Publica plus semper, quam sua gesta colit.

Propria

Propria dispensat Doctis, antiqua reservat:
 Innovet ut nostra sœcula prisca solo:
 Sic Antiquorum gestorum, Præsul Amator!
 Tam grandi facto cernitur atq; patet!

I N S C R I P T I O VI.

De prodigiis effectibus maris, qui in Bibliotheca reperiuntur.

Cūi portenta maris concessum cernere nunquam,
 Hæc demonstrabit Bibliotheca sibi.
 Præsul enim PRINCEPS, sicut miracula mentis,
 Contulit ad Doctæ Tecta Sacrata Domūs:
 Oceanī, simili studio miracula legit,
 Ut totum mundum Bibliotheca ferat.
 Ut sit non tantū terræ, vel mentis imago:
 Sed simul exhibeat, signa stupenda maris!

Reperiuntur & aliae raritates in eadem Bibliotheca ZAŁV-
 SCIANA, nempe multa Instrumenta Mathematica, Fetus
 humani, & alia ex Regno Minerali animali vegetabilia:
 sed de singulis agere, longum esset: & facilius est Illustrissi-
 mis ZAŁVSCIIS hæc omnia ad Bibliothecam congregare, quam
 nobis enarrare & describere.

I N S C R I P T I O N E S

Super AGNUM ZAŁVSCIANVM, & Bibliothecam.

I N S C R I P T I O I.

Super Agnum in circumstantia fundatæ Bibliothecæ, ita ut ex
 H₂ una

una parte sit Agnus impressus, ex altera Bibliotheca. Hæc ergo inscriptio prima sit: FIDEI REGI & LEGI.

Cuncta tribus fulcris constant, nituntur ex illis,
Nempe Fide vera, Regeq; Lege simul.
Ex tribus his Fulcris, si quando deficit unum,
Omnia lagvescunt, debiliora magis.
Bibliotheca suo ne quando langueat ortu,
Hæc Fidei, REGI, legibus ecce Sacra!
Hanc Fidei, REGI, tum Legi consecrat AGNUS:
His fultus robur crede Leonis habet:
Hæc JUNOSSARUM Magnorum maxima virtus.
Quod Fidei, REGI, Legibus acta sacrent:
Omnia quæ largè fundant, meditantur, aguntq;;
Horum perficiunt semper amore trium:
Propter nempe Fidem, Regem, Legemq; Supremam,
Hæc JUNOSSARUM, sunt tria signa Domus.

Aliud Super eodem.

Ordinis Aquilæ Alba tessera est illa: Pro Fide REGE & Lege:
Bibliotheca autem Agni ZAŁVSCIANI est hæc: Fidei
REGI & Legi.

Albæ qui signis Aquilæ se protegit Ordo,
Illi Rex, Lex, Tessera, vera Fides.
Palladis extructæ similis dum Tessera splendet;
Ordinis istius Bibliotheca soror.

Parti.

Participare potest de Juribus Ordinis hujus,
Cujus & Officium perficit, implet onus.

INSCRIPTION II.

Agni & Bibliothecæ: *In sole propter solem: conformiter ad illud Ps: 18. In sole posuit tabernaculum suum, & ipse tanquam Sponsus procedens de thalamo suo. Exultavit ut Gigas ad currēdam viam, &c.*

Quando locum spectas, quo Musis regnat Apollo,
Est solis requies, Regia solis adest.

Nam Domus est veri solis Varsavia tota,
Sol ibi Sarmaticus lumina summa parit:
Hoc in sole suas fundat ZAŁUSCIUS aras,
Has propter solem, Victima REGIS agit.

Aliud super eodem.

NOctibus in medijs, densis nil tentat in umbris,
AGNUS amat lucis, publica signa suæ:
Hinc in Sole soli, Regni totius X Orbis,
Publica JUNOSSÆ Fabrica munus habet:
Coram Sole Poli, tūm coram lumine solis,
Hanc propter Solem condidit Ille domum.
Ut dum gyratur Sol; circum corpora mundi,
Lumine prædictum, tangat & ore locum.
Ut sol delicias de fundo contrahat isto,
Ac ferat occiduis munera tanta locis.

Vt sicut

Ut sicut totus mundus de sole serenus,

Sic toti mundo Bibliotheca vacet.

Sic cunctas Gentes, totum collustret & orbem,

Nullaque deficiat lumine Terra Suo.

Aliud super eodem.

IN medio solis vix Musas condidit AGNUS,

Tanquam de thalamo promicat ecce suo!

In solem prodit radians ZAŁUSCIUS AGNUS,

Ac exultavit sicut ad alta Gigas!

Ut quod cœpit iter, summum pertingat ad ipsum

Sole Sacro fulgens, solis ad astra petit.

Non est qui fugiat, tam magni signa caloris,

Omnes accedit Sanctior iste calor!

INSCRIPTION III.

AGNI & Bibliothecæ ZAŁVSCIANÆ: *Lic ovibus, vel-
lera Regno.*

MUnera quæ gremio nativo continet AGNUS,

Hæc ovibus primò propria Sacra facit.

Lac ovibus CHRISTI diffundit ab ubere pleno,

Continuo studio pascit Ovile suum.

Nam quot PONTIFICES de lumbis protulit AGNUS,

Lacte suo pascunt semper Ovilis Oves:

Præbentes illis Divini pascua Verbi,

Ut Sacras animas, non premat ulla fames.

Tan-

Tantus oves postquam satiarit, paverit AGNUS,

En præstat Regno vellera cuncta suo!

Expendit totam fortunam fundit & aurum,

Ut crescat Regno Bibliotheca Suo.

Et benè jam crevit moles optabilis Orbi!

Jam splendet toti Bibliotheca solo!

Dum sic pascit Oves, dum præstat vellera Regno,

Omnibus hic AGNUS sufficit, atq; sapit.

I N S C R I P T I O IV.

A G N I & Bibliothecæ: *Etiamsi tondar, non obmutescam,*
 ubi alluditur à contrario ad illud Isaiæ: *Et quasi Agnus*
coram tondente se obmutescet Isaiæ 53.

VEllere coniectum quamvis me conspicis AGNUM,

Sed me dira nimis tondere tela solent:

Despoliant hostes, intentant prælia fæva,

Ac odijs multis, vellus, honorq; subest.

Sed quamvis tondar nunquam reticebo, silebo,

Non obmutescam, justaq; vera loquar.

Nam quamvis voces mihi concludantur, & ora,

Nunquam deficiet Bibliotheca loqui.

Hæc me detonsō, vel quovis Marte gravatō,

Justitiam dicet, sancta q; jura feret.

Narrabunt totum collecta volumina verum,

Scriptores nequeunt, Sancta tacere bona.

Narrabunt Musæ, Pallas narrabit, Apollo,

Quantas pro Regno fuderis AGNUS opes!

Cla-

Clamabunt L^apides, quibus isthac Fabrica constat,
 Ac omnis paries publica signa dabit.
 Cum sua FUNDATOR naturæ jura subibit,
 Narrabunt ejus facta stupenda Libri!

I N S C R I P T I O V.

AGNI & Bibliothecæ. *In loco pascuæ ibi me collocavit,*
juxta illud Psal: 22. Dominus regit me & nihil mihi
deerit in loco pascuæ ibi me collocavit.

IN campo vacuo dum mitis promicat AGNUS,
 Quæris ubi teneat pascua, prata, cibos?

Ast ego non resero tanti secreta profundi,
 AGNUS pro propria, prædicet Ipse Domo.

In campo vacuo quamvis sim conditus AGNUS,
 Pascua non desunt, congrua grata mihi:

Bibliotheca mihi concedit pascua mira,
 Temperat illa sitim, providet illa cibos.

Elysios campos mihi si concedat Olympus,
 Hi mihi non sapient, non satiabor eis:

Bibliotheca mihi gratissima pascua præstat,
 Hâc mea sanatur tota Suprema fames!

Hîc sunt deliciæ, sunt hîc obsonia mentis,
 His Solis AGNUS pascitur Ipse cibis:

Si mihi deficiant totius fercula mundi;

Nil mihi de dapibus credo decesse potest.

Nam

(65)

Nam regit hunc AGNUM Dominus Supremus Olympi
Et quid Ei quandò ritè deesse potest?
Hic mihi decrevit Librorum pascua docta,
His AGNUS vivam per mea sæclâ cibis!

I N S C R I P T I O VI.

AGNI & Bibliothecæ: *Opus meum in modum Lilij: conformiter ad illud quod dicitur, 3tij Reg: 7. v. 22. Et per capita columnarum, opus in modum lilij posuit, perfectumq; est Opus columnarum.*

Omnis habet propriam sublimis Fabrica Formam.
Omnis habet proprium Machina sacra modum.
Si quæris formam Sedis quam condidit AGNUS?
Illiustotum lilia monstrat OPUS:
Illiustveram præsentant lilia formam,
Illiustmonstrant lilia casta modum.
Nam sicut folijs conflantur lilia puris,
Sic puris constat Bibliotheca Libris.
Lilia sicut habent propriam de fronte Coronam,
Ex libris similis nonne Corona fluit?
Hoc Opus omne meum præsefert lilia vera,
Hic nil de lolijs campus agerq; parit.

I N S C R I P T I O VII.

AGNI & Bibliothecæ: *Vt pascam & pascari: conformiter ad illud Cant: 6. v. 1. Dilectus meus descendit in hortum, ad areolam aromatum, ut pascatur in hortis, & lilia colligat*

PRO MUSIS AGNUS statui dūm condere sedem,
 Quis meus est finis meta , triumphus , honor ?
 Ut pascam vasti totius pectora mundi ,
 Ut studiō solido pascar & Ipse meo.
Dum pascam cunctos , tunc nemo famelicus ibit ,
 Dūm pascar: proprio munere pascar Ego !
 Ut reliquis siam pascendis fortior Ipse ,
 Ut toti profint pascua nostra Polo.
Pascar & ore legam , de Sacro lilia campo ,
 Quæ representat Forma , situsq; Domūs.

INSCRIPTION VIII.

AGNI & Bibliothecæ: Communia pascua omnibus;
Pascua pro cunctis communia sæpè negantur ,
 Observat pratis tempora quisq; suis.
 Hinc rixæ , strepitus contingunt jure frequentes ,
 Publica dum quisquam pascua , prata negat.
AGNUS Ego proprijs dum trado pascua campis ,
 Hæc sunt communi tota sacrata bono !
 Publica promulgo , communia pascua pando ,
 Ex ipsis pratis , nemo fugatur agris.
 Biblioteca mei communia pascua præstat ,
 Ast hic non pecudum gramen & herba viret :
 Sed potius doctæ referantur pascua menti ;
 Hic sunt DOCTORUM lilia , prata , rosæ !

Ex

(67)

Ex his decerpant escas , alimenta , docendi ,
Omnis ab omnigeno Flore , cibetur Homo !

I N S C R I P T I O IX.

A GNI & Bibliothecæ : *Aris crescimus ambo.*
A Primis cunis , Aris sum deditus AGNUS ,
Ararum , Superum Viætima , cresco , feror ,
Expletis cunis semper gestabar ad Aras ,
Ex illis didici crescere , ferre gradum :
Utq; magis cresciam , feci cum Pallade fædus ,
Ut studijs crescat Bibliotheca meis :
Quod dum complevi , sic aris crescimus Ambo ;
Sicut Ego , pariter Pallas amica DEO :
Promptus Ego vivo cædi pro Nomine CHRISTI ,
Me cæso , dicet Bibliotheca DEUM :
Narrabitq; Fidem Sacras defendet & Aras ,
Defendentq; suo condita corda sinu .

I N S C R I P T I O X.

A GNI & Bibliothecæ : *Continuò sursum.*
E Rectum dum gesto Pedem , nec euro levamen ,
Continuò sursum , tendere (crede) volo .
Altius ut tendam , cælos ut vertice tangam ,
Dat mihi sublimem Bibliotheca gradum .
Illa munitus , cessabo tendere nunquam ,
Et sursum tendet Bibliotheca simul :

Nam licet in terris defixam possedit Aulam,
 Tendere sed sursùm mentibus illa petit,

I N S C R I P T I O XI:

AGNI & Bibliothecæ: *Semper sto, sed non otiosus:*

QVamvis stem semper, cœlis spectantibus AGNUS.

Non tamen in campis, otia vana sequor;
 Nocte dieq; meos semper produco labores,
 Supremusq; meus Bibliotheca labor.

Hanc circa versor, cum Pallade prandia sumo,
 Cum Musis cænam, pocula docta ferø:

Dormio cum Libris, vigilo sed mente perenni,
 Stans, semper nullo poplite lassus Ego.

I N S C R I P T I O XII.

AGNI & Bibliothecæ: *Inermis sperno castra luporum:*

NIl magis intentat rabidorum turba luporum,
 Quam mites Agnos, vel gregis ejus Oves,
 Quos dum conspicunt in vastis montibus Agni,
 Hi fugiendo, fugam continuare timent.

Admirando lupos, motum cursumq; retardant,
 Sic fiunt sævis præda parata lupis.

Ast ego de cunis sim quamvis AGNUS inermis,
 Attamen hic metuo castra lupina nihil:

Bibliotheca mihi castellum, murus & arma,
 Bibliotheca sua dissipat arte lupos.

Si quis forte lupus concedit ad ostia casu,
 Lædere non audet, forte cubile meum!

IN-

(69)

I N S C R I P T I O XIII.

AGNI & Bibliothecæ: *Post ferias, nuntio Pascha,*
Jejunas ferias postquam persolverit Orbis,
Agnus Pascha Sacrum nuntiat, atque sonat.
In mensis populi, templis comparet & aris,
Devotos plausus Agnus ubique movet:
Lætitia præbet Paschalis signa, tonosque,
Ex Agno resonat Terra, polusque simul.
Quas ferias tristes persolvit Terra Polona,
Publica quod desit Bibliotheca sibi:
Has Ego dissolvo Musarum Conditor AGNUS;
Et toti sacrum nuntio Pascha solo:
Nam si vulgares præstant id Gentibus Agni,
Cur ego non possim talia signa dare?
Communes Agni, semel apponuntur in Anno,
Et tamen exhibito munere, Pascha notant:
Ast Ego continuò proprios radiabo Penates,
Cur nequeam semper condere Pascha novum?
Condam, perficiam, Paschalia Festa creabo!
Et Paschalis erit Bibliotheca, Domus!

I N S C R I P T I O XIV.

AGNI & Bibliothecæ: *Tribus Pedibus totam molem fero:*
Bibliotheca mei quamvis sit maxima moles,
Hanc AGNUS pedibus fulcio, porto tribus:

Quartum

(70)

Quartum nempè Pedem, cælis impendo ferendis,
Post vitæ palmas, omnibus astra petam!

I N S C R I P T I O XV.

AGNI & Bibliothecæ: *Carens ovili, utor ovili.*

STemmatis in medio, quo campo perfruor AGNUS,
Prorsùs ibi nullum, constat ovile meum.
Nulla Domus, tectum, postes, nullumq; cubile,
Sub solo semper stant mea membra dio.
Dùm sine securo degebam semper ovili,
En mihi providi solus ovile meum.
Biblio. fundavi thecam constante labore,
Illa mihi requies, constat ovile meum.
Sub tectis ejus vivam, semperq; quiescam,
Hæc AGNO fiat commoda Sacra Domus.

I N S C R I P T I O XVI.

AGNI & Bibliothecæ *Nec os illius confringetis.* Exod: 12;
v. 46. vel: *Os non comminuetis ex eo* Ioan: 19. v. 36.

QVem DEVS Isacidis, comedendum tradidit AGNUM,
Os non debebant comminuisse suum:
In Libris qui se comedendum porrigit AGNUS,
Integra debebunt ossa manere sui:
Nam DEUS ossa pij custodit fortiter AGNI,
Ex illis nullum conteret hostis atrox:
AGNUM si proprio detondas vellere totum,
Ast nullus minui debet abinde Liber: Hic

Hic AGNUS mavult nativum perdere vellus,
Quam de fundata perdere sede Libros.

I N S C R I P T I O XVII.

AGNI & Bibliothecæ: *Quocunq; ivero*, sequentur.

AGNUS Divinus sua quò vestigia flectit,
Virginei sequitur pura corona Chori.

Sic Ego quo flectam doctarum signa viarum,
Me debet semper Bibliotheca sequi.

Me comitabuntur DOCTORUM serta triumphi,
Ibit scriptorum tota caterva libens.
Millia Librorum delectu clara stupendo,
Assistent tanquam fortia castra mihi.

Sicut enim solem occasus comitatur, & ortus,
Sic consors semper Bibliotheca mei.

M O N U M E N T U M C E L S I S S I S M O P R I N C I P I à B I B L I O T H E C A,

post sera fata

D A N D U M.

QVamvis immensis Musarum splendeo donis,
Cingar & innumeris Bibliotheca Libris:

Attamen ardenter meditabar tempore longo,

Quæ FUNDATORI, post monumenta darem.

In mentem primò Regum venere Sepulchra,

Pyramides Memphis se statuere mihi? Sed

Sed nihil istorum pro tanto PRINCIPE dignum,
 Plus FUNDATORIS poscit, & urget amore
 Sic aliò primam decrevi flectere mentem , .
 Ut FUNDATORI grata trophæa feram:
 Fundamenta meæ quæ spectas grandia sedis ,
 Et quæ Portarum limina vasta vides:
 Omnia de gemmis pretiosis condita splendent ,
 Undiq; gemmarum magna corona , cohors.
 Jaspis, Sapphirus, Chalcedon, parq; Smaragdus ,
 Sardonichus fulget, Sardius ardet, Onyx.
 Hic me Beryllus, splendore Topasius ornat,
 Hic Adamas PRINCEPS, ac Hyacinthus adest
 Chrysolithus totam molem circumdat honore ,
 Cristalliq; simul, splendet Achatis opus:
 Et quidquid dives gemmarum parturit æquor ,
 Omnibus ornatur nostra beata Domus !
 De dictis Gemmis Monumentum PRINCIPIS est
 Et FUNDATOREM plurima Gemma tegat.
 In tam sublimi pretiosa Fronte Sepulchri ,
 Candoris grati carmina nostra vide :
 Has inter Gemas Regnorum GEMMA refulget ?
 Hic PRINCEPS, Præsul, KOSTKA triumphat, ovat!
 Omnia quæ gessit, Gemmis condigna fuere !
 Omnis, & exuvijs Gemma, det omne DECUS !

PARS II.

P A R S II.

De Fundatione & Structura Bibliothecæ interioris,
consistentis in delectu & aggregatione Librorum
plurimorum, rarissimorum & doctissimorum.

Quam primum Celsissimus PRINCEPS, ANDREAS
STANISLAVS KOSTKA Comes in Zaluskie ZAŁVSKI Episcopus Cracoviensis, Dux Severiæ, fundavit
stupendam Basilicam seu Palatium Bibliothecæ, tam primum
ILLVSTRISSIMVS & REVERENDISSIMVS
DOMINVS, JOSEPHVS ANDREAS Comes in
Zaluskie ZAŁVSKI Supremus Regni Poloniæ Referenda-
rius &c. fundat Bibliothecam interiorem Varsaviensem,
Publicam, proprio & amplissimo Sumpu.

S Y M B O L U M I. B I B L I O T H E C Æ.

Est Gemma pretiosa cui locò Lemmatis inscribitur illud:
Simile est Regnum Cælorum, homini negotiatori quærenti bo-
nas Margaritas. Inventâ autem una pretiissâ Margaritâ,
abît, & vendidit omnia, quæ habuit, & emit eam.

Math: 13. v, 45.

Una pro gemma pretioso pondere plena,
Omnia quis vendit? deserit? atq; jacit?
Præstítit hoc Unus JOSEPH ZAŁUSCIUS, Orbis
Sarmatici radians Gemma, Monile, DECUS.

K

Quæ-

Quæsijt ille nimis multas pro tempore Gemmas,
 Lustravit Mundi climata, Regna, sinus:
 Et postquam Gemmam quærens invenerat unam,
 Quæ sibi visa fuit, tunc pretiosa magis:
 Hanc sibi delegit, sponsavit, mente probavit,
 Hac pro Acquirenda vendere cuncta volens.
 Gemma hæc, quam tantò studiō, quæsivit amore,
 Librorum solium Bibliotheca fuit.
 Hac pro fundanda, plantanda, rite fovenda,
 Omnia quæq; habuit, vendidit, emit eam!
 Emptam non propter se se conservat & auget,
 Sed toti Regno consecrat, atq; dicat.
 Ut totum Regnum Gemmæ splendore fruatur,
 Ut totus Mundus doctior inde micet!
 O quantum Gemmæ pretium, quæ sufficit Orbi?
 Quæ toti Regno sufficit una satis!
 Ast INVENTORIS Gemmæ mens amplior Orbe?
 Qui tantum invenit, fecit, & auxit Opus?
 Ast FUNDATORIS Caput est sublimius Astris!
 Qui Gemmas tot habet, quot locat Ipse Libros!

S Y M B O L U M II.

B I B L I O T H E C Ā.

Sagenæ missa in mare cui loco Lemmatis inscribitur illud: *Simile est Regnum cælorum Sagenæ missæ in mare, & ex omni genere*

*genere piscium congreganti, quam, cum impleta esset, eduentes,
Ecce littus sedentes, elegerunt bonos in vase, malos autem
foras miserunt Mat: 13. v. 47.*

UT submersa mari spumoso vasta sagena,
Squammigeri populi congregat omne genus:
Et postquam fuerit diversis piscibus aucta;
Educit pingves, respuit illa malos.
Sic & JOSEPHUS propriam JUNOSSA Sagenam,
In vastum misit Palladis omne mare:
Atq; Libros tanquam pisces collegit in unum,
Elegitq; bonos, jecit at Ille malos.
Et quamvis jam tot Librorum millia legit,
Non supra littus confidet Ille vacans:
Verum piscandis Libris constanter inhæret,
Ut fiat vastum Bibliotheca mare!
Jamq; brevi tantum felix succrevit in altum,
Ut videatur in hac æquor, & esse mare:
FUNDATOR si tot Libros piscatur ad augem,
O quantas animas congregat Ille magis!
Divini toties pandens oracula Verbi,
Non tantum populo, Regibus, atq; Thronis:

SYMBOLUM III. BIBLIOTHECÆ.

Semen seminantis, cui locò Lemmatis inscribitur illud: *Exiit
K. 2 qui*

qui seminat seminare. Et dum seminat, quædam ceciderunt secus viam, & venerunt volucres cœli & commederunt ea. Alia autem ceciderunt in petrosa, ubi non habeant altitudinem terræ: Sole autem orto; æstuaverunt, & quia non habebant radicem, aruerunt. Alia autem ceciderunt in spinas, & creverunt spinæ, & suffocaverunt ea. Alia autem ceciderunt in terram bonam, & dabant fructum, aliud centesimum, aliud sexagesimum, aliud trigesimum. Math: 13. v. 1. & sequen.

Agricolæ cupidi segetum, Mæsisq; futuræ,
In varijs agris semina multa serunt.
Ast hæc quando cadunt misere, propè signa viarum,
Per volucres Cœli sæpè vorata manent.
Quæ verò suprà jaciuntur culmina petræ,
Arescunt, pereunt, sole calente nimis.
Quæ tandem spinis medijs inserta fuere,
A spinis densis pressa, gravata gemunt,
Gleba bonæ terræ cùi grano contigit, illud.
Fæcundos fructus Messe cadente dedit.
Biblio-dum thecæ voluisset spargere semen,
JOSEPH ZAŁUSKI larga, beata manus:
Exit in vasti totius climata mundi,
Specans quò posset condere semen agrō?
Præsentabant se tractus, agriq; viarum,
Vir prudens docta respuit arte vias.

In prom-

In promptu fuerant cum petris arduâ saxa ,
 Sed steriles semper noverat Ille petras .
 Extremo steterant spinoso viscere glebæ ,
 Ast inter spinas noluit esse rosas .
 Omnibus omissis quæsivit CONDITOR Iste ,
 Lustravit terræ pingvia terga bonæ :
 Invénitq; bonam terram VARSAVIA dictam ,
 Quæ nunquàm spinas protulit , atq; vepres .
 Quæ nunquàm fuerat sterilis de more petrarum ,
 Sed fidei luxit semper abundus ager .
 In qua Supremi fulgent insignia Petri ,
 Et Sanctæ Sedis plenus habetur honor .
 In qua consistit Lechicorum Regia Regum ,
 In qua Primorum stant monumenta Ducum ,
 In qua Sarmatici spectantur Numinæ Cæli ,
 Atq; SENATORUM tota Corona patet .
 In qua consilijs Regni stat nobilis Ara ,
 Et voces PROCERUM libera vota ferunt .
 In qua Sarmatici Reges Solesq; creantur ,
 Electos Reges quæ videt una prior .
 In tam sublimi , pingvi , tum Principe terra ,
 In terra plena fructibus , atq; bona :
 Dum JUNOSSA suum sevit de pectore semen ;
 Ac in agro tanto BIBLIOTHECA sata :

Quem tandem fructum Regnum sperabit & habebit?
 Et quæ Sarmatico Gloria? Fama Solo?
 Crescit abhinc fructus non jam trigesimus Orbi,
 Non sexagenus, sed puto Major erit!
 Si dicam crescit fructus centesimus inde?
 Me dictum numerum dicere credo parùm:
 Bibliotheca dabit milenos condita fructus!
 Verius innumeros proferet illa brevi!
 Sæcula dum venient, superabunt sæcula fructus!
 Immensum spondet Bibliotheca Bonum,

S Y M B O L U M IV. B I B L I O T H E C Æ.

Est thesaurus absconditus: cui locò Lemmatis inscribitur illud: *Simile est Regnum Cælorum thesauro abscondito in agro, quem qui invenit, abscondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit universa quæ habet, & emit agrum illum.* Math: 13. v. 44.

Comperijt vasto thesaurum quisquis in agro,
 Occultat toto pectore, condit eum:
 Ut veniens, solus toto potiatur eodem,
 Solus ut ipsius gaudeat arte, bono.
 Bibliotheca fuit Thesaurus conditus agro,
 Hunc JUNOSSA COMES, comperit arte sua:
 Sed non abscondit, potius præsentat, & offert,
 Ut totus mundus sponte fruatur eô: Et

Et non intenebris densis plantavit eundem,
 Et non damnavit noctibus Author opes,
 Publica Thesauro constructa Palatia monstrat,
 Ut tam mirandum quisq; videret Opus!
 Nec tantum videat, sed purum colligat aurum,
 Quod venis proprijs Bibliotheca parit.

S Y M B O L U M V. B I B L I O T H E C A E.

*Est Granum sinapis, cui locò Lemmatis inscribitur illud: Si-
 mile est Regnum Cœlorum grano sinapis, quod accipiens ho-
 mo, seminavit in agro suo, quod minimum est quidem omni-
 bus seminibus, cum autem creverit, majus est omnibus oleribus,
 & fit arbor, ut volucres cœli veniant, & habitent in ra-
 mis ejus. Math: 13. v. 31.*

DUm cunas primas capiebat Palladis Ædes,
 Exiguum granum nonne sinapis erat?
 Hoc JUNOSSA COMES gratas accepit in ulnas,
 PRINCIPIS & FRATRIS severat illud agro:
 Quod quamvis minimum fuerit tunc semine quovis.
 Incæpit sensim crescere, ferre bonum.
 Ex minimo grano succrevit Nobilis arbor,
 Ut volucres Cœli sæpè venire queant.
 Inq; suis ramis habitent, & sponte quiescant,
 Bibliotheca sibi Nidus, & ampla quies,
 Et quam-

Et quamvis cunctæ volitent huc sæpè volucres,
 Est AQUILÆ primus Bibliotheca Locus:
 Sicut enim semen REGUM succrevit in agro,
 Sic primum nidum REGIA poscit Avis.
 Post hîc Sarmaticæ veniunt ad signa volucres;
 Atq; sibi capiunt singula certa loca.
 Et quot Aves Lechicæ circumstant stemmata Gentis,
 Has primò florens Bibliotheca capit.
 Post tandem reliquis Avibus se pandit apertam,
 Omnis ut hîc nidum semper haberet Avis.

S Y M B O L U M VI. B I B L I O T H E C Æ.

Est Cælum cum Lemm: Indicat Authorem.

QVi negat ignoratq; DEUM Sua facta creantem,
 Hic Cæli videat Nobile , spectet opus:
 Indicat hoc radians Authorem, monstrat & instat,
 Ut noscant Verum cuncta creata DEUM:
 Sit quamvis notus JOSEPH ZAŁUSCIUS Orbi,
 Indicat Authorem Bibliotheca magis.
Qui tantum perfecit opus ! quantus sit ? habebis.
 Si nosces, quantum Bibliotheca valet ,
 Si Magnam, Pulchram, Librorum dixeris Arcem,
 Pulchrior hâc totâ, Major, & Author adeſt.
 Bibliotheca

Bibliotheca Tibi si Libris Docta videtur,

Authoris credas doctius esse Caput.

Bibliotheca potest si mundum sola docere,

Author eum melius nonnè docere potest?

Illam si REGUM decreveris esse Coronam!

FUNDATOR REGUM nonnè Corona prior?

S Y M B O L U M VII.

B I B L I O T H E C Æ.

Est Pallas cum Lemm: *Ipsā servatā servabimur omnes;*

OMnia Regna, Fides verax, confirmat, & ornat,
Defenduntq; Fidem fortia castra Ducum.

Quòd si defuerit Pallas Doctissima Regnis,

Regna cadunt, pariter corruit una Fides.

Sarmatici Regini Solium nè concidat unquam,

Et nè cum Regno corruat alma Fides:

Bibliotheca Sacram præstat ZAŁUSCIA sedem,

Ut sit servandæ Palladis apta Domus.

Pallade servata, tuti servabimur omnes,

Sic stabit Regnum, nec cadet una Fides!

S Y M B O L U M VIII.

B I B L I O T H E C Æ.

Est Aurora cum Lem: *Prænuntia vera dies;*

AUroræ facies, Prænuntia vera diei,

Hâc ortâ sequitur clara, serena dies.

L

Bibliothe-

Bibliotheca suo postquam præluxit in ortu,
 Est Veri Solis, Nuntia Vera DEI.
 Nam CHRISTUM, verumq; DEUM prænuntiat Orbi,
 Et tetræ noctis dissipat omne malum.
 Hæreseos falsas fraudes condemnat, & umbras,
 Ac toti mundo porrigit una diem.

S Y M B O L U M I X.

B I B L I O T H E C A E-

Sol cum Lemm: Omnia perficit unus.

OMnia quæ generat proprio de viscere terra,
 Illorum verax noscitur else parens:
 Sed virtus Solis, si se subtraxerit Orbi,
 Imperfecta suo corpore cuncta manent.
 Influxu Solis terrestria cuncta parantur,
 Sol virtute sua perficit omne decus.
 Sol herbas, flores, segetes & perficit aurum,
 Sol gemmas, lapides, dura Metalla coquit.
 Sol parit argentum, Sol vitis conficit uvas,
 Sol purgat vasti stercora cuncta Soli.
 Quod Sol in terris, hoc nostris mentibus ampla;
 Librorum pretiō Bibliotheca parat:
 Hæc nostras mentes, ut purum perficit aurum,
 Illa rudes animos decoquit, atq; probat.

Corpo-

Corporis hæc sensus rationi sæpè rebelles,

Ad rectam, Sanctam dicit, agitq; viam.

Hæc cor ignarum, tenebrosum, mobile, cæcum,

Illustrat, sanat, dirigit, atq; docet.

Hæc intellectum propriâ se lege regentem,

Ad complectendum debita jura vocat.

Hæc benè commemorat, quæ rectè gessimus unquam,

Hæc menti revocat devia nostra mala.

Hæc hominem totum mortali carne gravatum,

Urget ad æterni Regna tenenda Poli.

S Y M B O L U M X.

B I B L I O T H E C Æ.

Est Luna crescens cum Lemm: *Donec totum impleat Orbem:*

TAm bene tamq; diu succrēscit gloria Lunæ,

Orbis perfecti donec adimpleat opus.

Biblio - crescentis - thecæ si jura requiris?

Hæc methodô Lunæ crescere tota cupit.

Tamq; diu crescit jam donec adimpleat Orbem,

Donec de se se doctior Orbis erit.

Si FUNDATORIS studium, si vota rependas?

Crescendo nullum destinat Ille modum.

Bibliotheca sui quamvis jam replete Orbem,

Postulat, ut pariter replete illa Polos.

L 2

Sic et nos

Si Cælos tangat, non est hæc ultima meta,
Illi finis, meta Suprema DEUS:

S Y M B O L U M XI.

B I B L I O T H E C Æ.

Terra Vniversa cum Lemm: *Cunctis se præbet arandam.*
QUamvis de puncto terræ, discrimina, cædes,
Conflictus, clades, bellaq; dira sonent:
Illa tamen semper cunctis se præbet arandam,
Omnibus exaperit viscera, corda, sinum.
Excedat quamvis pretiō, præcordia terræ,
Excellens Libris Bibliotheca suis !
Attamen ad normam terræ se præbet arandam,
Omnibus exactè tota legenda patet.
Limitibus corpus terræ distingvitur arctis,
Similibus nullis Bibliotheca subest.
Percole quantum vis, planam, totamq; revolve,
Illi campum discute, confer, ara:
Illa tuo nunquam se se subducet aratro,
Occandam se se porriget, atq; dabit.
Quam si perpetuo constanter araveris usu,
Immensaæ Messis munera, dona feres.

S Y M B O L U M XII.

B I B L I O T H E C Æ.

Paradisus cum Lem: *Delicia Filij hominum.*

Quando

QVANDO creavit Adam primævum Dextrā Suprema,
Condens florens & Paradisus erat.

Ut formatus homo benè custodiret eundem,

Ac operaretur digna salute bona,

Delicijsq; suis recte vivendo fruatur,

Quarum plenus erat conditus ille locus;

Imò deliciæ populi, mundiq; vocandus,

Qui tenuit mæstum, flebile, triste nihil.

Dum JUNOSSA studet Gentem recreare Polonam,

In Sacris vitæ legibus, atq; vijs.

Tunc Paradisus erat, pro dicta Gente struendus,

Quem custodiret Sarmata quisq; vigil.

Hunc cùm decrevit JOSEPH JUNOSSA creare,

Mox Paradisus adest, Bibliotheca, novus.

Hæc tanto studiō fundata, parata, creata,

Tantis impensis aucta, labore, modis,

Delicias solas ut spiret mentibus Orbis,

Norma voluptatis campus, arena, scopus,

Delicias quantas Paradisus primus habebat!

Tantis excellit Bibliotheca bonis!

Deliciæ Gentis, Regum recreatio, plausus,

Flos primus Regni, lætitiaeq; sinus,

Floribus, Arboribus, Paradisus Primus abundus,

Eximius floret Bibliotheca Libris!

Lætific.

Lætificavit Adam paucis instantibus unum;
 Tristitiam cunctis contulit ille locus:
 Bibliotheca brevi non profert gaudia puncto,
 Lætificare libens sæcula cuncta potest!
 Et jam lætificat, producit gaudia firma,
 Delicias Cæli monstrat adesse solo.

SYMBOLUM XIII.

BIBLIOTHECA.

Est Arbor scientiæ boni & mali cum Lem: Indicat una bonum, damnat illa malum.

IN medio primi Paradisi Nobilis Arbor,
 Forma sciendorum, fons, & origo fuit.
 Monstravitq; bonum naturæ lege sequendum,
 Damnavit labis per sua signa malum.
 Bibliotheca patens est Arbor vera sciendi,
 Exhibit illa bonum, damnat & illa malum.
 Nam quæcunq; fovet collecta volumina mundi
 Hæc sunt forma boni, sunt fuga recta mali.
 Hinc quicunq; bonum cupiunt inducere menti,
 Et qui ritè student fæda cavere mala?
 Bibliotheca suo sit præsens condita cordi,
 Nôsse bonum discent, atq; cavere malum.

SYMBO.

S Y M B O L U M XIV. B I B L I O T H E C Æ.

*Est Fons irrigans universam superficiem terræ Gen 2, cum Lem:
Vnus sufficit Orbi.*

Dum nondum pluvias novisset conditus Orbis,
Fons terræ gremio scandere visus erat:
Qui totam terram stillanti rore rigabat,
Ac toti mundo congruus unus erat:
Istius fontis fert Bibliotheca vigorem, -
Ac toti mundo sufficit una satîs:
Conspexit totum DOCTORUM flumine mundum,
Irrigat exusti corpora, corda soli.
Sicut fons primus conspergens viscera terræ,
Præpingves segetes, semina multa dedit!
Sic fons hic alter perfundens intima mentis,
Aurigeras Messes parturit, atq; refert.

S Y M B O L U M XV. B I B L I O T H E C Æ.

*Est Arca Nôe cum Lem: Profert de thesauro suo nova,
& vetera. Math: 13.*

QVam jussu Cæli Justus vir condidit arcam,
Hæc antiqua simul protulit, atq; nova.
Protulit Antiquos homines de fluctibus Orbis,
Et nova res Arcæ, pacis oliva fuit,

Biblioth;

Bibliotheca Libros servans, hoc præstat utrumq; ,

Omne novum profert, porrigit illa vetus.

Hæc tanquam Grandis DOCTORUM partibus Arca,

Omnia scripta fovens salvat & omne genus.

Quod scripsere Novi DOCTORES, exhibet Orbi,

Et quidquid Veteres exposuere, docet.

Hic se Romanæ sistunt Cunabula Gentis,

Hic sunt illius sceptræ, trophyæ Ducum.

Hic est Imperij Romani Maximus Ortus,

Hic est occasus, meta, ruina, scopus!

Hic Piscatoris constant exordia Petri,

Nascentis Fidei Gloria; Forma, Decus.

Hic successorum Petri Suprema Potestas,

Ac fidei Veræ sæpè gravata Ratis.

Hic sunt Pontificum mæstissima tempora vitæ,

Hic Romanorum Purpura prima PATRUM.

Hic incrementum Fidei, progressus & Ordo,

Atq; Tyrannorum proditur omne nefas.

Hic de Concilijs sensus narratur, & Acta,

Illorum Zelus, nec vitiata Fides.

Hic sunt Sectarum fontes, & Schismata cuncta,

Hic est cum Græcis Unio, nexus, amor.

Hic est Græcorum Regni, Sedisq; ruina,

Bistoniæ Gentis cernitur omne malum.

Regno;

Regnum, Regumq; vices, discrimina, casus,
 Hicq; patent clades, funera, bella, neces.
 Hic quidquid gessit præclarum conditus Orbis,
 Fert de Thesauro Bibliotheca suo.
 Extremo tandem toti denuntiat Orbi,
 Istud prodigium Bibliotheca novum :
 Quod se tam Pulchram, Virtus ZAŁUSCIA fecit,
 Quod se tam vastam, condidit Una Domus !

S Y M B O L U M XVI.

B I B L I O T H E C Æ :

Sancta Sanctorum cum Lemm: His arcana fluunt;

IN templo veteri Sanctorum Sancta micabant,
 De quibus arcanas Lex vetus hausit opes:
 Bibliotheca potest Sanctorum Sancta vocari,
 De qua arcana fluunt maxima quæq; solo:
 Ex hac Divinæ Triadis perfectio Summa,
 Ac Incarnatus noscitur esse DEUS.
 Ex hac diminant Fidei Mysteria prima,
 Atq; Redemptoris Gloria, tota patet.
 Ex hac Divinæ Matris Conceptio pura,
 Immaculatus in hac, Virginis ardet honor.
 Abdita quæ nondùm novit natura creata,
 Hæc praxi facili, Bibliotheca docet.

S Y M B O L U M XVII.

B I B L I O T H E C Æ.

Sunt Montes aurô referti cum Lemm: *Sinu pretiosa recondunt.*

UT varias terras, sic montes condidit Author,
 Hos plumbum, reliquos faxeas gleba notat.
 Sunt etiam multi sub cæli culmine montes,
 Auri qui puri dura metalla ferunt.

Hoc est de numero Mons Bibliotheca refulgens,
 Montibus Auriferis ditior, atq; locis.

Nam quot in hac Tomos, vel rara Volumina spectas,
 Auri tot puri pondera mira nitent.

Illa sinu proprio semper pretiosa recondit,
 Omnes Thesauros procreat, atq; fovet:
 Quod majus pretium quam recta scientia vitæ?
 Hanc tenet in folijs, Bibliotheca suis.

S Y M B O L U M XVIII.

B I B L I O T H E C Æ.

Et vitis de frondibus amputata, cum Lem: *Spoliata ditior.*
QUò magis è vitis truncantur stipite frondes,
 Hoc magis in fructu ditior illa viget.
 Bibliotheca pari gaudet cum vitibus usu,
 Quò spoliata magis, ditior, illa viget.

Si sem-

Si semper capias fructum de vite Librorum,
 Deficiet nunquam Bibliotheca Libris.
 Quò plus percipies, hōc plus augebitur illa,
 Et partum similem proferet illa brevi.
 Nempe potest per eam, nova Bibliotheca creari,
 Ex hac millenæ crescere nonnè queunt?
 Imò si per se, doceantur sæcula mundi,
 Nil sibi diminuet, Bibliotheca boni!

S Y M B O L U M X I X.

B I B L I O T H E C Æ.

Est mare nunquam siccandum cum Lemm: Nunquam
 siccabitur æstu.

Totam virtutem, totum roburq; caloris,
 Si sol profundat desuper alta maris:
 Imò si fluerent ignes de monte Vesavo,
 Si cunctas flamas, funderet Æthna calens.

Illius nimiam nunquam siccabit abyssum,
 Integra persistet, tota vorago sali.

Ut māre velivolum nullo siccatur ab æstu,
 Siccari pariter Bibliotheca nequit.

Hæc etenim retinet non salsos Æquoris amnes,
 Non viles quasvis gurgite servat aquas.

Sed potius condit sudores, atq; labores,
 Qui de DOCTORUM fronte, genisq; cadunt.

Hos verò nullus fervor siccabit, & æstus,
Corrumperit pretium sæcula nulla suum.

S Y M B O L U M X X. B I B L I O T H E C Æ.

*Est Hidria aquas de mari educens cum Lem: Congre
ut disperdat.*

HIdria quas dicit de terræ cordibus undas,
Illas expendit, distribuitq; simul.
Irrigat his ipsis campos, viridaria, terras,
Ut largos fructus donaq; plura ferant.
Congregat ex toto quando ZAŁUSCIUS Orbe,
DOCTORUM partus, Dogmata, Scripta Libros.
Id quô fine (petis) studium, sumptumq; frequenta
Hoc ut disperdat, distribuatq; bonum.
Istaq; tam prudens, dispersio larga librorum,
Æquum vel pelago creditur esse Bonum.

S Y M B O L U M X X I. B I B L I O T H E C Æ.

Est Flos Corona Imperialis dictus, cum Lem: Ipsa sibi fertum.

QUas Reges capiunt rara virtute, coronas,
Regibus hæ non sunt, congenitæq; genis:
Imperialis habet, quando flos signa Coronæ,
Congenitum profert hoc diadema sibi.

Si Tibi

Si tibi Flos Regni, Procerum, Magni^q; Senatus,
Excellens vultu Bibliotheca micet:

Hæc sibi congenitam præsentat Sola Coronam,
Hæc sibi de Libris nata Corona, decus,
Imperialis habet sublimis jura Coronæ,
Regibus Illa suis esse Corona potest.

S Y M B O L U M XXII. B I B L I O T H E C Æ.

Est Flos Miraculum Hispanicum dictus: Bibliotheca autem
potest dici: *Miraculum Polonicum*.

NON Hispana ferunt tantum Miracula, Regna,
Hæc etiam possunt Regna Polona dare:
Biblio (cui) thecam cunas JUNOSSA creavit,
Miraclum mundi dicere nonne potes?
Quotquot ibi libri, tot sunt miracula mundi!
Prodigium quivis cernitur esse Liber!
Hanc ergo dicas Miraclum rite Polonum,
Quæ vasti mundi tot paradoxa refert!
Prodigium verò majus dimanat abindè,
Unus quod tantum Sarmata fecit EQUES!
Quòd pauci Reges, armis, auroq; Potentes,
Vix quid par Regnis ante dedere suis.

SYMBO.

S Y M B O L U M M XXIII.

B I B L I O T H E C A.

Est Heliotropium Solem respiciens cum Lem: *Ego Dilecto
meo, & Dilectus meus mihi Cant: 6. v. 2.*

SOlis, & istius Floris, conjunctio tanta,

Ut quò sol vergit, vergat & ille simul.

Dilectus Soli meritò Flos creditur iste.

Dilectus Flori, Sol quoq; totus adest.

Ambo se spectant, ambo comitantur, amantq;;

Ambo respiciunt tempora, signa, diem.

Hunc inter florem, solem qui nexus amoris,

Naturæ ductu cernitur, atq; viget:

Hic inter Doctam Sacratæ Palladis Aulam,

Ac FUNDATOREM nexus amoris adest.

Quò Dilectus abit FUNDATOR, Planta Librorum,

Illuc constanter Bibliotheca petit.

Bibliotheca, suum quò vertit Maxima cursum,

Illuc FUNDATOR cordis amore volat!

Nonq; potest unum FUNDATOR figere gressum,

Quò non sit præsens Bibliotheca sibi.

Bibliotheca locum pariter non appetit ullum,

Quo FUNDATOREM non videt Illa suum.

Diligit Illa PATREM, PATER altè diligit illam,

Amborum mirè corda ligata sibi!

Bibliotheca

Bibliotheca (mihi Dilectus Conditor) inquit ;
 Et FUNDATOR ait : Bibliotheca mihi !
O quantum donum ! quantum certamen amoris !
 O quantus Prolis cum Patre nexus, amor !
 Sed tamen ut Prolem censemur amare Parentes,
 Fortius, & Mater diligit ipsa magis !
 Bibliotheca magis sic est Dilecta PARENTI !
 Hanc ut Mater amat, diligit, atq; nutrit !

S Y M B O L U M M XXIV.

B I B L I O T H E C A E.

Est Flos Granadilla dictus, qui in se instrumenta Passionis Christi Domini repræsentat, cum Lem: *AGNI sum signata triumphis.*

Jactent se folijs reliquorum germina florum,
 Polleat eximio quisquis odore suo !
 Ast ego, sum de AGNI Granadilla notata triumphis,
 Atq; REDEMPTORIS signa remonstro DEI !
 Et præsento Crucem, spinas, clavosq; Coronam,
 AGNUS quam Patiens frontis in axe tulit.
 Tantum se Florem Musarum condita sedes.
 Et tantas dotes Bibliotheca refert:
 Illa Libris proprijs mundi fert signa Redempti,
 AGNI Divini monstrat & Illa Crucem !

Præsen.

Præsentat spinas, clavos, & signa Coronæ,

Quā patiens AGNUS spontè gravatus erat !

Bibliotheca simul magnis signata triumphis,

Quos JUNQSSARUM protulit AGNUS ovans!

Præsentat Clypeos, hastas, & fulmina belli,

Atq; Domūs Magnæ fortia castra Ducum,

Qui decertârunt pro Templis, atq; Senatu,

Et qui pro Regno dira tulere mala !

Atq; Fidem proprijs tutati fortibus armis,

Et defenderunt jura Sacrata Petri.

Demonstrat Clavas, Mitras, Regniq; Sigill

Atq; frequens Domui Pontificale Pedum.

Exhibit illa simul Scriptorum Nomina Magi

Atq; Triumphorum plausibus ampla sonat.

Fortius hac quid adest ? quid nam præstantius illa ?

Æde quid immensa Sanctiùs esse potest ?

Censeo quod debet non jam Granadilla vocari :

Nam vox hæc Floris credo minuta patet.

Sed Granadam dicam, vel Grandem Palladis Aulam !

Quæ tot Regnorum Grandia signa refert !

SYMBOLUM XXV.

BIBLIOTHECA.

Est Campana cum Lem: Hac resonante silent.

DE cælo quoties reboantia fulmina terrent,

Ac irata solo, sidera luce tonant :

Cam.

Campanæ sonitu tanto removentur ab ausu,
 Hâc resonante silent, hacq; loquente tacent.
 Quando Stygis fædæ consurgunt fulmina, fraudes,
 Et quatiunt nostri cordis, & oris opus:
 Bibliotheca sonans tanquam campana loquatur,
 Fulmina debebunt sœva tacere Stygis.

S Y M B O L U M XXVI.

B I B L I O T H E C Æ.

Navis cum Lem: *Gyrum Mundi circuivi sola.*

QUÒ nequeunt celeres avium transfire volatus,
 Ac animal nullum tendere vela potest!
QUÒ cursus hominum, nunquam pertingerø tentant,
 Huc navis poterit sola movere gradum.
Hæc gyrum mundi sine damno circuit una,
 Hæc circa mundi volvitur una rotas.
QUÒ JUNOSSARUM nunquam se contulit AGNUS,
 Quò nunquam Lechico movit ab Orbe pedem:
 Bibliotheca Ratis Librorum mercibus ampla,
 FUNDATOREM AGNUM deferet illa brevi:
 Transferet alterius JUNOSSAS littus ad Orbis,
 Monstrabit Mundo Nomina Magna novo.
 Et vehet ad portum, pretium non vile laborum,
 Quò constat Libris, Bibliotheca gravis.

S Y M B O L U M XXVII.

B I B L I O T H E C A.

Lampas artificio igne ardens, cum Lem: *Perpetuis ignib⁹ ardet.*

UT sibi perpetuum facerent per saecula Nomen
Antiqui populi post sua bella Duces:

Lampadas ardentis proprijs posuere Sepulchris,
Quarum constanter flamma perennis erat.

Ut JUNOSSARUM Virtus Nomenq; perennet,
Lampadibus varijs non eget, atq; focis.

Bibliotheca Libris ardens, clarissima Lampas,
Hæc faciet Nomen crede perenne suum:

Ut nunquam moritur perfecta scientia rerum,
Sic JUNOSSARUM non morietur honor.

Docta perennabunt illorum Nomina: mentem
In fastis proprijs Bibliotheca feret.

S Y M B O L U M XXVIII.

B I B L I O T H E C A.

Cathedra Publica cum Lem: *Et in Cathedra Seniorum laudent eum.* Psal: 106.

QUAS meruit laudes JOSEPH ZAŁUSCIUS, illæ
Cor, votum superant, saecula multa petunt.

In Clypeis, armisq; Ducum, factisq; stupendis,
Laudari poterit, Pontificumq; Mitris:

In calamo tandem si vis laudare Docentem?

Quis scribet calamus, scripta, suosq; Libros? Si

(99)

Si veram cupias pro tanto Nominē laudem,
In Cathedra laudes maxima facta Viri.
Ex Cathedra crescit JUNOSSÆ Gloria summa,
Et Cathedræ Nomen Bibliotheca gerit.
Hâc tanquam Cathedrâ JOSEPH Clarissimus Orbi,
DOCTOR in hac resedens, omnia Regna docet.
Cedat Aristoteles, Plato, cedatq; Socrates,
Atq; Philosophici tota Corona gradus:
Cedant & Sacræ Doctrinæ corda Sacrata,
Cedant Doctorum laurea, serta simul:
Ex Cathedra propria, quando JUNOSSA loquetur:
Auditor totus mundus adesse potest!

S Y M B O L U M XXIX. B I B L I O T H E C Æ.

Est Speculum cum Lem: *Omnia monstrat:*

Quæ JUNOSSARUM Princeps Gens maxima fecit.
Quæ Solio, Regno præstítit ampla bona:
Multæ latent nobis arcanō condita stricto,
Ast oculis tantum cognita plana DEI.
Sed dum Gens eadem Musis Sacraria struxit,
Dum terris nostris Bibliotheca data:
Hæc tanquam speculum resplendens omnia monstrat,
Quæ JUNOSSARUM gessit amanda Domus.

Nz

Ex hac

Ex hac vera Fides prodit, sapientia, Zelus,

Ex hac Magna patent gesta, trophæa Ducum:

Ex hac Pontificum lucent, constantq; Tyaræ,

Ex hac pro Regno fuisus amore cruar!

Ex hac diminant Proceres, Magniç; Ministri,

Atq; SENATORUM Gloria tota micat.

Ex hac DOCTORUM, SCRIPTORUM, Sacra Corona,

Ex hac Gente, Domo, nata Minerva reor.

Ex hac (Imperij PRINCEPS Chrysosthomus) Æde,

Orbem per totum notior esse patet:

Cujus magna suos auxerunt SCRIPTA decores,

Et primæ Lucis signa dedere sibi.

Sicut enim Regni sublimat sceptra Poloni,

Desribens REGUM gesta, suosq; Thronos:

Sic compar lumen prædicta volumina reddunt,

Atq; Domus Sacræ Palladis ora decent.

Ex hac promanat LUDOVICUS munere PRINCEPS.

Sed magis ingenio PRINCIPIS acta gerens,

PRINCIPE Prædicto fulsit Pułtovia felix!

Faustior illuxit Sacra Minerva magis.

Magnus ALEXANDER JOSEPH par omnibus Iстis.

Vester non tantum sangvine, mente Parenс:

Biblio - de - thecæ monumentis nonnè revixit:

Una sibi vitam Bibliotheca dedit !

Hic

Hic vexilla tulit Terræ Ravensis, & oræ,
 Post CASTELLANUM viderat illa suum:
 Atq; PALATINUM posthac vénerata profundè,
 Qui Dignus fuerat REGIS honore frui.
 Quos hîc non memoro, Vos Bibliotheca loquetur,
 Et tanquam speculum nobile prodet eos,
 Bibliotheca Viros JUNOSSAS dum indicat orbi,
 Quos magîs eloquitur indicat? atq; sonat?
 KOSTKAM, JOSEPHUM, speciali nuntiat ore,
 Vos FUNDATORES monstrat, amatq; magîs!
 Cui nomen, pretium, famam, vitamq; dedistis;
 Quæ Vestro sumptu crevit, amore magîs!
 MARTINUS Consors FRATERNI luminis adsit:
 Sic totam monstrat Bibliotheca Domum.

S Y M B O L U M XXX. B I B L I O T H E C Æ.

Capitolium Romanum cum Lem: *Victoribus Ara.*

QVæ Romana Manus, Populus, Capitolia struxit.
 Victorum fuerant Nobilis Ara, Domus.
 Quæ JUNOSSA suo fecit Capitolia sumptu,
 Aurea quæ Libris Templa locumq; dedit:
 Semper erunt Doctis Victoribus, Ara perennis,
 Atq; triumphorum meta, supremus honor.

Hic

Hic capient Magni DOCTORES, Sceptra, Coronas,
 Hic Bellatores justa trophæa ferent.
 Semper ubi peragent DOCTORUM castra, triumphos,
 JUNOSSIS major nonnè triumphus erit?
 Romanæ Locus hic superat Capitolia Gentis.
 Hic est DOCTORUM gloria, norma, Caput!
 Tot nunquam vidit Victrix Gens Roma triumphos,
 Quot lauros, fasces, Bibliotheca tonat.

S Y M B O L U M XXXI. B I B L I O T H E C Æ.

Est Pantheon Romanum cum Lemmate; *Omnibus Ara Dijs.*

Inter Templa gravi Romano condita sumptu,
 Magnificum Templum Sanctius illud erat:
 Quod præsentabat cunctorum fana Deorum:
 Quod fuerat falsis omnibus Ara Dijs,
 Nobilius Templum, celebratur Sanctius, ampla
 Omnibus electis Bibliotheca, Libris.
 Quæ nunquam patitur falsorum monstra Deorum,
 Nec turpi præstat sordida thura Stygi.
 Ast uni veroq; DEO libamina reddit,
 Et cultum sanctis omnibus una refert,
 Hic vere fulget pro Sanctis omnibus Ara,
 Hic est unius Gloria vera DEI.

Cuncto;

Cunctorum quondam Templum Commune Deorum,
 Nunc sibi Sacratum Virgo MARIA tenet :
 Sic JUNOSSARUM Templum commune Librorum,
 Noscas pro cultu Virginis esse Sacrum :
 Nam quæ tota DEUM moles veneratur, adorat ;
 Virginis hæc etiam, promovet omne bonum.

S Y M B O L U M XXXII. B I B L I O T H E C A E.

Est Manna cum Lem: *Omnis sum causa saporis:*
QUandò fames populum Domini suprema gravabat,
 De Cæli largum vertice manna cadit.
 Id tanto dono, tanta virtute nitebat,
 Omnis ut in mensa cresceret inde sapor.
 Dum Regnum Lechicum similis jactura gravaret,
 Et dum Librorum torserit arcta fames :
 Manna novum Lechiæ, cæli demittitur arce,
 Exoritur populo Bibliotheca cibans.
 Hæc tanquam missum de cæli culmine Manna.
 Sarmaticum Regnum, sola cibare potest.
 Continet hæc in se cunctos dulcesq; sapores ,
 Per quos interior mens recreata manet ,
 Hos quicunq; semel grato gustaverit ore ,
 Semper ei sapiet Bibliotheca , Liber.

SYMBO-

S Y M B O L U M XXXIII.

B I B L I O T H E C Æ.

Scala Jacob cum Lem: *Etiam in somno dicit ad astra juxta illud Gen: 28 v. 12. Veditq; in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum, Angelos quoq; DEI ascendentes, & descendentes per eam, & Dominum innixum scalæ,*

QUAM Jacob Scalam, somni spectabat in actu,
Hæc attingebat culmine tecta Poli.

Per quam sidereæ scandebant ordine mentes,
Et descendebant rursùs ad ima soli.

Ac dormitanti Jacob monstrare studebant,
Quòd sibi sub cælos recta parata via:

O felix Jacob qui quamvis dormiat arctè,
Directam pro se, spectat ad astra viam.

Biblio - dum - thecam JUNOSSÆ munere factam,
Observas : hæc est scala parata Poli.

Ætherei per quam scandunt ad sidera cætus,
Descenduntq; simul tempore, lege, gradu:

Demonstrant tractum bene dormitantibus aptum,
Vi cuius cæli signa tenere queant.

Biblio - nam - thecæ vis, virtus creditur illa,
Quòd dormitantes astra sub ipsa locet.

Illius verum quisquis concepit amorem,
Dormiat, illa sibi monstrat ad astra viam.

Et

Et dormitanti præsens se sistit, & urget,
 Ut post dormitum sidera mente petat,
 Hoc in se totum FUNDATOR comprobat Ipse,
 Qui cum dormitat, mente sub astra volat.
 Bibliotheca PATREM proprium sic sublevat alte,
 Ut fixus terris, adsit Olympus ei.
 FUNDATOR tantam cum scalam feceris orbi,
 Non valet ad cælum, scala deesse Tibi,

S Y M B O L U M XXXIV.

B I B L I O T H E C Æ.

Est Domus Sapientiæ juxta illud Proverb: 9: Sapientia ædificavit sibi domum &c. miscuit vinum & proposuit mensam suam cum Lemmate. Toti convivia mundo.

HÆc est instanter terrarum cura, laborq;
 Ut vitæ propriæ commoda cuncta ferant:
 Quod tam sollicitè quærunt, sapientia fecit.
 Extruxit vini, panis & illa Domum.
 Ista Domus Panis, vini convivia præstans,
 Est radians Sacris Bibliotheca Libris.
 Hæc Panem vitæ præbet, vinumq; sciendi,
 Hæc intellectum roborat, atq; nutrit.
 Illa voluntatem Divino pascit amore,
 Et mensam cunctis mentibus illa parat.

O

Ista

Ista duo præstans , toti convivia mundo ,
Omnibus in terris desinet atra fames.

S Y M B O L U M XXXV. B I B L I O T H E C Æ:

Sunt septem Columnæ quas sibi Sapientia excidit, juxta illud
Prov: 9. *Sapientia excidit columnas septem cum Lem: Non ca-
dam nixa columnis.*

Firmius ut regnet Sapientia vera per Orbem.
Excidit septem fulcra , suasq; bases.
Excidit septem sanctas firmasq; Columnas ,
Non poterit proprio tota ruisse sinu,
Has perpendimus nostro sermone Columnas ,
Ut pateat Sacræ , Gloria magna Domūs !

C O L U M N A I. B I B L I O T H E C Æ. SACRA SCRIPTURA.

Symbolum vero Sacræ Scripturæ, Est Arca Fæderis, cum Lem:
Mors est malis , vita bonis.

Incautus sacram tetigit qui Fæderis Arcam ,
Hic subitæ mortis fulmine tactus erat.
Qui verò recto tetigit se pectore , sensu ,
Hæc illi vitæ munera certa dabat.

Innu-

(107)

Innumeros populo causabat sola triumphos.

Palmarum felix Nuntia sœpè fuit.

Si vim scripturæ Sacræ, pretiumq; videbis,

Exprimit hæc Arcam fæderis, atq; vices.

Illa bonis confert cælestis gaudia vitæ,

Jam verò mortem dat simul illa malis.

Qui sua scrutantur puro mysteria corde,

His est præsidium, vita, medela, salus.

Sed qui velandis falsis erroribus illa

Utuntur, turpi morte perire solent.

Scripturæ totum Corpus, Sacrumq; Volumen,

Cum servet proprio Bibliotheca sinu.

Hâc primâ tanquam fulcitur stante Columna;

Istius columnen Litera Sacra Domus.

Hinc sicut vitam, vel mortem Litera Sacra,

Mentibus ingenij ferre, referre solet,

Bibliotheca modo simili procedit & usu,

Morte malos: vita præmiat illa bonos.

C O L U M N A II.

B I B L I O T H E C Æ

CONCILIA GENERALIA.

Symbolum Conciliorum Generalium potest esse Examen

Apum cum Lem: *In unitate fidei.*

Oz

Quas

QVas examen Apum sedes, vel tecta subintrat,
 Unam servat ibi mente, labore fidem,
 Nil proprium curant, omnes commune laborant.
 Omnibus una fides, omnibus una quies.
Concilijs Sanctis, Generalibus atq; Supremis,
 Unica pro meta, vera probata Fides.
Instar apum veniunt Divino Pneumate ducta,
 Instar apum fidei dulcia mella legunt.
 Nil sibi, vel pro se, studioso corde laborant.
 Omnia pro Petri Clavibus, atq; Fide.
Obscurè quidquid proponit Pagina Sacra,
 Hoc totum verè, clariùs illa ferunt.
Articulos fidei decernere, condere possunt,
 Quæ credenda manent, credere juris habent.
Schismata rescindunt, damnant erronea Scripta,
 Delent sectarum devia monstra nova.
Ad fidei quidquid Divinæ spectat honorem,
 Omnia decernunt, atq; tenenda jubent.
Attamen istorum JUDEX supremus, & AUTHOR,
 Hic est qui retinet, maxima Sceptra Petri.
Concilijs, sicut Fidei stat Gloria Summa,
 Sic illis quævis Bibliotheca studet,
His tanquam veris subsistit clara Columnis.
 Hæc, aurô quovis strictius auget, habet.

C O L U M N A III.

BIBLIOTHECAE.

T H E O L O G I A.

*Symbolum Theologiae. Fax accensa cum Lem: Erroribus
apta fugandis*

Qui vult errores, densæ dispellere noctis,
Applicat exactis gressibus ille facem:
Fax etenim tenebras noctis dispellit, & umbras;
Errores, casus, dissipat, atq; fugat.
Quod Fax est nocti, Divina scientia mundo
Eventus similes exhibet, atq; probat.
Salvat ab errorum nostras discrimine mentes,
Quod sanctum, melius, verius, illud amat!
Eruit è sacræ Scripturæ fontibus, omnes
Doctrinæ dotes, ac pietatis opes.
Et sua Scripturæ confirmat dogmata scutô,
Absq; suo sensu nil probat, atq; docet.
Explanat Sanctæ Fidei Mysteria summa,
Atq; suis medijs ardua, plana facit.
Divinæ Triadis totam proponit abyssum,
Ethnica dissolvit monstra, suosq; dolos,
Fert Incarnati venerans cunabula VERBI,
Quanta Beatorum gaudia, vera docet.

In

In nobis quantos operetur Gratia fructus?

Ex illa cunctios discere quisq; potest.

Virtutes magno Tractatu pandit, & omnes

Peccati pœnas, virus, & omne malum.

Sacramentorum dotes, ac dona stupenda,

Effectus, robur porrigit, atq; notat.

Qualiter Angelicæ discurrent ordine mentes,

Hoc totum clarè Sacra Magistra monet,

Et quidquid recta proponit Formula legis.

Illud perfectè discutit, atq; jubet.

Tota quibus donis Divina scientia fulget,

Omnibus his credas Bibliotheca valet.

Hanc ergo solidam, firmam, sanctamq; columnam,

Pro fulcro proprio Bibliotheca gerat.

C O L U M N A IV.

B I B L I O T H E C Æ.

P H I L O S O P H I A.

Symbolum Philosophiæ: Clavis aurea, cum Lem:

Claudit, referatq; thesauros.

Q Uotquot thesauros clavis conservat, & abdit,

Hos referat, postquam tempus & hora pater.

Maxima conservat cunctis æraria Regnis.

Dispensat quando debita jura jubent.

Tota

Tota Philosophiæ, Sacratæ Palladis Aula,
DOCTORUM radians Aurea clavis adest:
 Thesauros in se claudit, gazasq; sciendi,
 His referat, quotquot discere, scire volunt.
 Hæc demonstrandi proponit dogmata firma,
 Principijs firmis utitur, atq; Fide.
 Naturam Totam speculatur, cuncta creata,
 Ex illis constans arguit esse DEI,
Quæ remanent invisa DEI, dat visa patenter,
 Ex his quæ fecit Dextra Suprema DEI.
 Sensibilis cunctos meditatur corporis actus,
 Formarum species, organa cuncta movet.
 Post, animam totam recta ratione coruscum,
 Decernit nullo tempore posse mori,
 Bibliothecarum munus, finisq; perennis,
 Hoc totum promptè tradere, scire bonum,
 Unde Philosophicam propter se continet artem:
 Ut sit perpetuò firma columna sui.

C O L U M N A V.

BIBLIOTHECA.

JURISPRUDENTIA.

Symbolum Iurisprudentiæ, est Bilanx, cum Lem:
 Omnibus æquè.

Quam

QUOTQUOT justa Bilanx in sese pondera suffert;
 Omnis hæc æquè, distribuenda refert:
 Nil minuit cùiquam, nil grati munera addit,
 Äquam mensuram porrigit, atq; foveat.
 Hanc Legem strictè Jurisprudentia servat,
 Omnis hæc pariter reddit ubiq; suum.
 Armis non certat, nec verbis disputat ullis,
 Leges servandas, atq; statuta monet.
 Bellorum gravium motus, & distrahit arma,
 Reges componit, fædera pacis agit.
 Si non conservent illius Regna rigorem,
 Cum terris, Scepbris, Gente, Thronoq; cadunt:
 Templorum, Fidei, Juris-prudentia robur.
 Regnorum, Regum murus, & ampla salus,
 Bibliotheca sacro, Civili jure resplendens,
 Istud tam sanctum præstat utrumq; bonum:
 Bibliotheca suos Reges tutatur, & Aras.
 Præscribens illis Legis utrumq; genus,
 Primum, quod tradit septeno culmine Petrus,
 Et quod Regnorum, Sancta Statuta ferunt.
 De tam sublimi fundat sibi jure columnam.
 Illô subsistit nititur, atq; viget.

C O L U M N A VI.

BIBLIOTHECÆ.

M E D I C I N A.

Symbolum Medicinæ Officina Apothecaria cum Lem:
Quælibet herba salus.

Quas domus hæc flores, plantas, vel continet herbas,
 Ex illis constat quælibet herba salus.
 Nam sicut propriæ naturæ pollet honore,
 Singula pro multis pharmaca ferre potest.
 Sed quia virtutes herbarum sæpè latebant,
 Praxibus assiduis, hæc Medicina probat.
 Illaq; mortalem vitam conservat, & annos,
 Principijsq; suis pharmaca sana docet.
 Sicut terrigenis dat quælibet herba salutem,
 Sic illam donat quilibet ecce Liber:
 De Libris Medicis, sumas pro carne medelam,
 De libris animæ, pharmaca mentis habe.

C O L V M N A VII.

BIBLIOTHECÆ.

E T H I C A.

Symbolum Ethicæ est Index Horologij, cum Lem:
Quod rectum, indicat.

P

Dum

DUm benè disposito cursu, motuq; rotarum ?
 Index est tendens , omnia recta docet.
 Non fallit fluxas labentis temporis horas ,
 Indicat occasum, monstrat & ille diem.
 Ethica proponens mores, est Indicis instar,
 Non fallit quidquid rectius esse potest.
 Barbariem crassam depellit ab Urbibus Orbis ,
 Hac Gentes , Reges, Regna polita manenti
 Hac regitur mundi solium , Respublica quævis,
 Ejus subsistunt libera sceptræ gradu.

*Præter Scientias in Columnis Sapientia expressas , repe-
 riuntur , adhuc aliae Scientiae , Artes de quibus
 hic brevissime agemus.*

M A T H E M A T I C A.

Cum suis Speciebus.

Et primo Cosmographia, cum Lem: Ex me constat, Ma-
 china mundi.

Quidquid per partes distincta, scientia pandit ,
 Ars hæc de toto concipit , atq; parit.
 Non partes mundi , sed mundum discutit ipsum ,
 Ex illa mundi Machina tota patet.
 Bibliotheca modum , praxim conservat eandem ,
 Quidquid habet mundus, semper id auget, habet.

G E O.

GEOGRAPHIA.

Cum Lem: *Terra cunabula s̄pēcto:*

DEscribit totam prædicta scientia terram,

Illiis partes, pondera mente librat.

Bibliotheca Sacro quamvis sit proxima cælo.

Terrarum fines, jura, modumq; refert.

Nec tamen in Terræ corruptæ mergitur umbris,

Sed cælos ipsos culmine, fronte petit.

ARITHMETICA.

Cujus Symbolum sit numerus 10. cum Lem: *Periere decem,*
si subtrahis unum.

INnumeris numeris ars consecrata docendis,

Unum si perdat, perdit & omne simul:

Nam si de cyfris solum subtraxeris Unum,

- Millia Mille simul vel periere decem.

Unum JUNOSSAM si quis subtraxerit ante,

Biblio-jam-thecæ nonnè periret Opus,

Ne pereat, vacuis numeris non implet eandem,

Innumeris onerat limina cuncta Libris.

Quæ dum multa nimis nemo numerare valebit,

Ars numerans, totum munus id ipsa ferat.

GEOMETRIA.

Cum Lem: *Totum dimetior orbem,*

Pz

Tanta

Tanta Geometriæ virtus, & gloria splendet!
 Ut fines mundi destinet atq; locet.
 Bibliotheca patens hanc totam porrigit artem,
 Ac orbis fines ponere sola potest.
 Quid desceptatis Reges de finibus orbis?
 Quid de limitibus bella cruenta datis?
 Bibliotheca meo, Totum dimetior orbem
 Munere: prosunt prælia, bella, doli?
 Ut vero toti fines disternio mundo,
 Sic mihi nullus adest terminus, atq; scopus.

ASTRONOMIA.

Cum Lemm: *Hæc imperat astris.*

Astronomis quæ dat perfecta scientia leges,
 Imperat hæc cælis, sideribusq; præest!
 Quoq; loco debent distantia sidera stare,
 Quò cursus, motus vertere, ferre queunt:
 Hæc ars ostendit, monstrat præcepta modosq;
 Ordinis in cælo congrua jura parit.
 Bibliotheca Polo similis, conformis, & astris,
 Hæc Litros tanquam Sydera vasta regit:
 Quoq; loco poni Divina volumina debent?
 Hoc est Officium Palladis, atq; labor.

ASTRO-

(117)

A S T R O L O G I A.

Cum Lem: *Monstro, narrog̃ futura.*

QUÆ Secreta latent, possunt tamen esse futura,
Astrologorum vox, reddere nota studet:
Astrologos, Princeps Lux, & Regina, Parenſq;
Communi voto Bibliotheca regit.
Unde futurorum radix, thesaurus, origo,
Principium firmum Bibliotheca manet.
Nam de præteritis studiō, sensuq; relictis,
Constat quæ nobis certa futura manent.

CHRONOLOGIA.

Cum Lem: *Præterita tempora monstro.*

HÆC ars præteritos soles, distingvit, & annos,
Computat & menses, tempora, lustra, dies.
Si distincta cupis Regnorum sœcula scire?
Palladis ad limen corda, manusq; move:
Illic cognosces totius tempora mundi,
Illic annorum, Solis habebis opus!

HYDROGRAPHIA.

Cum Lem: *Æquor contemplor & undas.*

QUANTA sit Oceani Majestas, atq; profundum,
Quam longi spatij, littora cuncta maris:

Id contemplatur pelago Sacra Facultas,
 In solis proprium munus adimplet aquis.
 Expenditq; maris fluxus, pariterq; refluxus,
 Informat, nè sit naufraga sæpè ratis.
 Ventorum varias species, discrimina noscit,
 Navigij leges, tempora, signa notat.

HOROGRAPHIA,

Cum Lem: *Horas dimetior anni.*

HOrarum ratio, cursus, motusq; perennis,
 Ut possit proprium semper habere modum:
 Instrumenta rotis, hæc ars constantia tradit,
 Per quorum motum nox patet atq; dies:
 Has horas alijs labens distingvit arena,
 Jam verò reliquis pendula monstrat aqua.
 Nunc jam continuo motu, cursuq; rotarum,
 Metiri tempus singula Regna solent.

STATICÆ,

Cum Lem: *Omne pondus mihi leve.*

Virtus quæm Staticæ clarissima dogmata pandunt,
 Omnia de facilis pondera lege trahit.
 Et quod non possunt multorum castra levare,
 Unica per vectem Machina sæpè levat.

OPTI-

OPTICA,

Cum Lem: *Lumen de Lumine reddo.*

Optica dat leges clarè, rectèq; vivendi,
Corpora longa nimis proxima, juncta facit:
Quidquid habet veræ lucis, vel signa coloris,
His super objectis Optica munus agit.

ARCHITECTURA.

Cum Lem: *Arte mea, septem miracula mundi.*

QUæ memorant Gentes, Septem miracula mundi,
Ingenio, studijs, arte stetere mea,
Quidquid Magnificum, vel summum fulget in Orbe,
Quotquot Structuras, templaque sacra vides:
Quotquot Regnum, tam clara Palatia constant:
Omnia sunt artis signa legenda meæ.
Arcibus & muris conformem porrigo formam,
Describo speciem, destino, trado situm.

POLEMICA.

Cum Lem: *Vrbes frangere, defendere novi.*

BEllonæ, Martiq; favet, Castrisq; docendis,
Hæc ars Regnum mænia, scuta terit.
Urbes expugnat, turres confringit & Arces,
Est nil securum quod sua tela petunt.
Dat pariter praxim, defendi quomodo possint,
Urbes, ac gentes, totaq; Regna simul. TA-

(120)
T A C T I C A.

Cum Lem: *Ordine castra rego.*

Tactica mensuram castris disponit & armis,

Quâ formâ, methodô, vel situanda loco.

Ordine quo debent Acies, vel stare phalanges,

Ordine quo debent bella movere DUCES?

M U S I C A.

Cum Lem: *Per me vel saxa moventur!*

Quandò premit, stringit, tristes angustia mentes,

Q Dum cordis nostri viscera mæsta jacent:

Musica succurrit, concéntu mulcet amæno,

Et resonante tono, saxa vel ipsa movet,

Hæc in delicijs Summorum Maxima Regum,

Hæc Cælum recreat, Templa, sacrasq; Domos!

Angelicasq; Choris in praxi sæpè probata,

Hanc artem, studium, Totus Olympus amat.

R H E T H O R I C A,

Cum Lem: *Auscultant me Regna loquentem.*

Rethoricæ pretium Romano venit ad Orbe,

De Latio dicit sceptra suumq; genus;

Hâc toti celebris narratur Tullius Orbi,

Splenduit eloquio totaq; Roma suo,

De

De Latio, Lechicum venit Lux ejus in Orbem,
 Succrevitq; brevi maximus ejus honor.
 Nam dum Consilijs Sacrantur Festa Polonis,
 Dum Legatorum Libera vota sonant:
 Omnia Rhethoricæ sermonibus ora loquuntur,
 Ejus subsidijs omnia verba ferunt.
 Hos Oratorum sermones, atq; labores,
 Auscultant Proceres, audit & ipse Thronus.
 Et nihil in pleno Regis, Regniq; Senatu,
 Sarmaticæ Gentis dicere corda solent:
 Quod de Rhethoricæ non sit spectabile cultu,
 Et quod judicio non probet illa suō.
 Hinc Oratores tot servat Terra Polona,
 Quot fortis Equites computat, atq; DUCES.
 Omnis ibi Princeps, seū Nuntius, atq; Senator,
 Oratoris habet munera, signa, vices.
 Omnes Rhethorico sensu verbisq; loquuntur,
 Quilibet Orator, Sarmata, Cunctus Eques?
 Si sacras Cathedras Lechici lustrabimus Orbis,
 Rhethoricus sermo Templa, laresq; replet:
 Nil sinè lege sua Doctorum vota perorant,
 Oratorq; sacer, nil ait, atq; monet.
 Si populum plebemq; suam vult rite movere;
 Si vult eloquiō corda docere suo:

Q

Rhetho-

Rhethoricis fruitur caute sermonibus Ille,

Omnes delectat, conterit, atq; movet.

Sarmatici mundi si species docta Lycæa,

Rhethoricæ sceptrum prorsùs ubiq; regit.

Hâc illustrantur clarissima castra Scholarum,

Hâc regnat Cunctis Docta Minerva Scholis:

Muneribus Regni quæ creditur apta Juventus,

Se se Rhethoricis excolit illa bonis.

P O E S I S,

Cum Lem: *Lauris cingor, & arist:*

Quanta sit eximiæ virtus veneranda Poësis?

Hoc clare possunt sœcula prisca loqui:

Quæ tantum sacram coluerunt sensibus artem,

. Ut sibi victrixi laurea ferta darent.

Atq; coronarent Regnorum lego Poëtas,

Non minùs ac Fortes Marte, vel arte Duces.

Et quamvis singat species, formasq; Poësis;

Sub fictis formis, maxima vera docet.

Dum sua fatidico decantat carmina motu,

Omnia Divino Numine corda replet.

Quantum delectat resonanti Musica plectro,

Quantum demulcet pollice tacta chelys:

Tantum delectat doctissima corda Poësis,

Tantum concinno quisq; Poëta pede.

Quos

Quos numerô Divûm Petrus conscripsit, & aris,
 Illi tractarunt dulce Pôesis opus.
 Carminibus proprijs deducebantur ad astra,
 Concordiq; tenent Templa beata pede.

GRAMMATICA,

Cum Lem: *Novissimi*, *primi*.

Grammaticam quamvis postrema fronte legendam,
 Observas, non est ultima sorte, gradu:
 Imò lege sua doctrinas anteit omnes,
 Ut fons præcedit flumina, stagna, lacus.
 Et nisi Grammaticæ primò præcepta præirent,
 Quis reliquas artes discere, scire queat?
 Hæc benè dicendi præstat documenta parata,
 Hac sinc nemo capax dicere, recta loqui.
 Nam si quis nescit Linguæ præcepta Latinæ,
 Argumenta nequit ponere docta Sophis:
 Si quis Aristotelis contendit castra tenere,
 Grammaticus rectus debuit esse priùs.

CONCLUSIO,

De Omnibus scientijs, & Artibus.

Postquam tot mundi Sacras perspexeris artes,
 Scito: quòd Illarum Bibliotheca Parens.

Ut Fundamentis fulcitur in artibus istis,
 Ex ipsis Portas, ostia, tecta, refert.
 Quælibet ars hic, quævis sacra scientia, firmus
 Est paries: quævis magna Columna Domûs.
 Artibus ex istis postes, constantq; fenestræ,
 His tanquam speculis ardet ubiq; Locus.
 Artibus ex istis murorum signa parantur,
 Et Castellorum jura, vicesq; gerunt:
 Ex illis constat Musis structura parata,
 Consistitq; in eis Palladis omne decus.
 Has si de medio cunctas deleveris artes,
 Biblio-jam-theçæ, cultus, honorq; deest.
 Sicut eas artes prono veneraris amore,
 In simili maneat Bibliotheca sinu.
FUNDATOR verò majori dignus honore,
 Qui Regno nostro Numina tanta dedit!
 Artes qui tantas toto conduxit ab Orbe,
 Et vexit totas finibus Orbis opes.
 Atq; Domo, cunctos thesauros servat in una,
 Orbem tam vastum, clausit in Orbe Domûs.

APPENDIX.

De reliquis Circumstantijs Publicæ Bibliothecæ

ZALUSCIANÆ

I.

*Illusterrimus & Reverendissimus Dominus JOSEPHVS
ANDREAS Comes in Zatuskie ZAŁUSKI, Supremus
Referendarius Regni &c. non ex uno aliquo Regno, sed de
Tota Europa, & ex omnibus Celeberrimis totius Orbis
Bibliothecis Libros immenso sumptu colligit.*

Jessei Solij Sapiens Successor, & Hæres,
Rex Salomon cupiens solvere vota Patris:
Decrevit grandis fundare Palatia Templi,
In quo reddantur thura vetusta DEO.
Ad Regem Tyri pandens oracula mittit,
Ut sua pro tanto munere vota juvet.

Pallade pro docta statuit dum condere Templum,
JOSEPH ZAŁUSKI Gentis, & Orbis amor:
Non unum Regnum, Populum, Gentemq; requirit,
Omnia pro dicto munere Regna vocat.

Arrisêre suis Regnorum Culmina votis,
Præbuerant sensum cuncta Lycæa suum.
Omnibus è Regnis sic crevit Summa Librorum,
Et Grandis Doctæ Palladis Aula stetit.
Quotquot habent magnos Scriptores omnia Regna,
Unica JUNOSSÆ Bibliotheca tenet. Rex

Rex Salomon nunquam tantum de Gentibus aurum,
 Nunquam tot gemmas navibus ante tulit:
 Quot numeros, species, formas, classesq; Librorum,
 JUNOSSÆ studium, contulit atq; fovet.
 Europâ totâ dum quæ rarissima legit,
 Illius Speculum, Clavis, Imago, manet.
 Europam totam Capitis præsentat in axe,
 Cujus Thesauros Conditor, Author habet.

II.

*Idem Illustrissimus FVNDATOR, non tantum Libris ex Orbe
 toto collectis, sed etiam à se scriptis, & typo impressis,
 adornavit suam Bibliothecam.*

Orbe quod ex toto summo FUNDATOR amore,
 Immensos, raros, contulit ære Libros:
 Biblio-sat-thecam tam clara volumina mundi,
 Exornant, augent ejus & omne bonum.
 Sed FUNDATORIS si scripta volumina species,
 Si pariter penses tradita multa Typo,
 Et tradenda brevî: de cunctis culmen honoris,
 Immensumq; capit Bibliotheca decus.
 Quod dum spectamus, legimus, decernere restat;
 Unde refert pretium Bibliotheca magis?
 Num de conductis de mundi cardine Tomis,
 Num de conceptis per sua scripta Libris?
 Si de-

Si definiri posset me Judice causa,
 Tunc FUNDATORI candida vota darem:
 Sicut enim toti pretium dat Conditor Ædi,
 Sic pretium compar dant sua scripta, Libri.
 Ut magis exornat Musas FUNDATOR, & AGNUS,
 Quam tot collecti Solis ab axe Libri;
 Sic ejus proprij partus, scriptiq; labores,
 Parit majus reliquis jus, pretiumq; Libris.

III.

EXornare velit concham si quisq; marinam,
 Hanc ornare nequit pulchrius atq; magis;
 Quam proprijs gemmis proprio de viscere natis,
 His nullum poterit majus habere decus.
 Biblio-sic-thecam JUNOSSÆ nil majus ornat,
 Quam proprij sudor sanguinis, atq; labor;
 Quam propriæ gemmæ Scriptorum, totq; Librorum,
 Ingenijq; simul parta trophæa sui.
 Ut radians adamas, proprio se lumine signat,
 Sic JUNOSSA suis fulget in Orbe Libris.

IV.

Idem Illusterrimus FVNDATOR licet sine discrimine, omnes
 in Vniversum Libros colligat ex toto Orbe, tamen ad hoc specia-
 lem curam, sollicitudinem, & studium impendit, ut omnes Au-
 thores, Scriptoresq; Polonos, non tantum impressos, sed etiam
 manu-

manuscriptos in unum congreget, eorumq; Authorum Polonorum jam sexdecim millia collegit, qua collectione completa, Omnim Indicem typis imprimere decrevit.

QUamvis totius præclara volumina mundi,
JUNOSSÆ Magni colligat ampla manus:
Præcipue tamen Authores de Gente Polonos,
Immensô studiô congregat, atq; legit:
Ut pateat mundo, quòd Gens, Virtusq; Polona,
Non tantùm ferro, sed simul apta Libris.
Quòd sit non tantùm bellorum Marte tremenda,
Ast etiam Docta Pallade, clara magis.

V.

UT Gallina suos pullos conservat, amatq;;,
Ut prolem propriam congregat, atq; vocat:
Subq; suas alas miro conductit amore,
Pro pullisq; suis prompta, parata mori:
Sic JUNOSSA Comes Pullos, Partusq; Polonos,
Congregat ingenij, colligit, atq; notat.
Si Gallina suo celebratur grandis amore?
Quòd tam sit pullis semper amica suis:
Quantò Major amor JUNOSSÆ! gratia quanta?
Qui tam Scriptores æstimat, atq; colit!
Qui tanquam pullos, proprias attollit ad alas,
Innovat Ipsorum Nomina, gesta, decus.

VI.

MIllia sexq; decem Scriptores Gente Polona,
 Computat: ast plures lustra futura dabunt:
 Nomina Scriptorum decrevit reddere prelo ,
 Nè minimus pereat terminus , Author , apex.
 Quod dùm perficiet Scriptorum Grande Volumen,
AUTHOR, & AUTHORUM, sic GENERALIS crit:

VII.

*Idem Illustrissimus FUNDATOR Indicem Authorum Polonorum
 à se collectorum , non aliena sed propria manu conscripsit , ex
 illisq; sic registratis grande volumen compegit.*

Postquam Sarmaticos Scriptores legit in unum ,
 Hos propria sacra scriperat Ipse manu :
 Indicat hoc studium , conscriptum grande volumen ,
 Indicat Authorem syllaba , quæq; nota ,
 Quos proprio tanto dilexit totus amore ,
 His propriæ doctæ non negat acta manus .
Cor quibus effudit , cunctos quærendo , legendo ,
 Illis scribendis , fudit & Ipse manum !
Qui tot conscripsit DOCTORES Orbe stupendos ,
 Illum describent sœcula cuncta magis !
Dignus ut à cunctis scribatur , corde notetur ,
 Omnes qui scripsit Corde , labore , manu .

Idem Illustrissimus FVNDATOR multorum Authorum originalia scripta, per illos non impressa, proprio sumptu typis impressit.

QUæ sunt scripta manu, verūm non redditā prelo,
Hæc solem nequeunt, atq; videre diem.
Imò tam densis tenebris conduntur, & umbris,
Ut pereant tanti signa laboris opes.
Ut solem videant, tum nè condantur in umbris,
FUNDATOR studiō prospicit ære suo.
Impressit multos, quorum pia scripta latebant.
Illiſ dando diem, munera Solis agit.

IX.

*In ipso limine, & primis exordijs Fundationis, Amplissimæ Bibliothecæ ZALVSCIANÆ, circiter ducenta millia libro-
rum continet.*

Bibliotheca suis cunis vix nata refulget,
Millia Librorum, jamq; ducenta tenet:
De cunis quandò majus prodibit ad ævum,
Tam Magnum, Sanctum, quandò senescet Opus!
Quis numerare potest, producet millia quanta?
Quot centena dabit millia, quanta feret?
Condendis Libris quæ pro nunc sufficit Ædes,
Amplior his fundus credo struendus erit!

Millibus

Millibus ex tantis quot crescunt gaudia cordis?
 Quot FUNDATOREM præmia justa decent?
 Illi debentur Palmæ, magniq; triumphi,
 Debetur terræ gloria tota Poli.

X.

*In Amplissima Bibliotheca ZALVSCIANA reperiuntur
 Libri omnium Lingvarum.*

Bibliotheca Polo quamvis sit fixa Polono,
 Illam non tantùm lingva Polona decet.
 Sed quotquot Lingvas terrarum computat Orbis,
 Illarum voces, omnia signa refert.
 Hinc est non solis tantùm fundata Polonis,
 Est omni Regno condita, prompta Throno.
 Romanis populis primo de fonte Latinis,
 Italicis pariter limina aperta gerit:
 Germanis, Gallis, Hispanis Gentibus apta,
 Svecos, Saxones, ad sua castra vocat.
 Anglos, & Danos pelagi de Marte potentes,
 Pannoniæ populos provocat, atq; movet.
 Portugallorum quamvis sint Régna remota,
 Propter eos Lingvæ, signa propinqua manent.
 Isacidum populi Sacræ primordia Lingvæ,
 Si quærunt? illis semper aperta sonat.

Græcis eloquio constant hic Schismata Græco
 Uniti Ritus , jura modiq; patent
 Pro Turcis , Persis , in recta lege docendis ;
 Omnia comperies , ordine compta brevi.
 Bibliotheca Sacris si tot stat condita Lingvis ?
 Omnibus his poterit munera Sacra loqui.
 Et cunctas Gentes poterit formare , docere :
 Orbis totius lingva diserta , sonus.

XI.

*Liber Stanislai de Łowicz Canonici Regularis S. Sepulchri,
 continens Assertionem de Immaculata Conceptione B. Virg:
 MARIAE , quamvis annos ante ducentos typō impressus fuerit,
 tamen temporum calamitate ita disperijt , ut nullibi reperiri
 potuerit , tandem in amplissima Bibliotheca ZAŁUSCIANA
 repertus est , & donatus Bibliotheca Miechoviensi ab Illusterrimo
 F U N D A T O R E .*

Q Uod conscripsit Opus plus annos ante ducentos ,
 Ordinis in nostri Planta rigata sinu ;
 Hoc licet aspexit manifesti munera preli ,
 Ejus disperijt gloria , nomen , honor .
 Dùm quærebantur dicti vestigia Libri ,
 Nulla pium Scriptum , Bibliotheca dedit .
 Sed dùm Librorum luxit ZAŁUSCIA sedes ,
 Dùm primam cæpit Bibliotheca diem :

Hæc

Hæc dictum Librum proprijs servabat in ulnis;
 Et tanquam Gemmam Concha marina dedit.
Gemmea JUNOSSÆ splendebunt culmina Sedis,
 Perdita Gemmarum germina quandò refert:
Gemmarum pretiō, purō scribetur & aurō,
 Dum Gemmas doctas parturit Alma Parens.
 Si qui DOCTORUM, Docti perire Labores,
 Ingenij partus si periēre sui:
 Ad JUNOSSARUM currendum Palladis Aulam,
 Invenies totum, quidquid habere studes.
 Nam dictâ totum servatur, fulget in Æde,
 Quidquid Sarmatici non habet ora Globi.
 Imò quæ totus terrarum non habet Orbis,
 Illis excellens istud abundat Opus.

XII.

QUi liber è manibus, memori tūm mente recessit,
 Virginis Intactæ Cultor, amator erat!
 Quō defensa fuit, Matris Conceptio pura,
 Et quod non fuerit labe notata Parens.
 Hinc non tam Librum, quam Puræ Matris honorem,
 Servabat Sacro Bibliotheca sinu.
 Quem dum quærebant Custodum (vota) Sepulchri,
 Edidit hoc pretium Bibliotheca suum.

Ex

Ex quo colligitur quantum ZAŁUSCIA Sedes,
 Virginis Intactæ servet, & auget Opes.
 Et constat pariter quod purum Virginis ortum,
 JUNOSSÆ recolat tota sacrata Domus.
 Concipe FUNDATOR longissima sœcula Libris,
 Dum Matrem puram Bibliotheca docet.
 Quantum durabit Puræ Conceptio Matri,
 Tantum durabit Bibliotheca Tua!

XIII.

Qui perit hic moritur, nec justo funere gaudet,
 Inventor; vitæ creditur esse dator.
 Dum Liber à Łowicz perijt discrimine rerum,
 Defacto fuerat mortuus ille liber:
 Hunc quando reperis FUNDATOR Maxime Librum,
 Ille Tibi vitam, debet & omne bonum.

XIV.

VIx Liber à Łowicz JUNOSSÆ scriptus in Aula,
 Inventus mundum, vidit & ille diem:
 Ecce statim prelo mandatur, prodit in Orbem,
 Ac implet folijs pulpita Sacra suis.
Hæc est FUNDATÆ pro Musis gloria Sedis!
Hæc JUNOSSARUM fama, perenne decus!
Quod quæ scripta fovet, jam toti perdita mundo,
 Horum sunt semper Nomina, digna typis.

Omnia

Omnia si prelo mandentur scripta vetusta ,
 Quæ JUNOSSARUM continet ampla Domus :
 Immensus numerus procederet indè Librorum ,
 Ex illis summum Palladis esset Opus .

XV.

Illusterrimus & Reverendissimus Dominus MARTINVS Comes
 in Zaluskie ZALVSKI , Episcopus Dresnensis , Suffraganeus
 Plocensis , Supremus Regni Poloniæ Secretarius , in sua Do-
 mestica Bibliotheca , plus quam decem millia Librorum conser-
 vat , idemq; in Bonis suis hereditarijs Amplissimam Ecclesiam ,
 Fabricæ Majestate . & ornamentis magnificam ac stupendam ,
 liberalissime fundavit .

DVm Tua FUNDATOR resonamus earmina prompti ,
 Et Secretorum PRINCIPIS esse locum :
 Nam tuus est Magnus , Germano sangvine FRATER ,
 Fraternis meritis æmulus , atq; Comes .
 Millia plura decem , collegit signa Librorum ,
 Sed Centeno simul condere promptus adeſt .
 Hoc factò monstrat quòd semper nata docendo ,
 Sit JUNOSSARUM sancta , beata Domus !
 Et quod detraxit Libris constanter emendis ,
 Fundando Templo contulit Ipse libens .
 Fundatum Templum cedet pro Numinе Cæli ,
 Pro populo cedet Bibliotheca suo .
 Sic FUNDATOREM pulcherrima Templa sonabunt ,
 Sæcula dictabit Bibliotheca decem .

Æ-

Aeternos potius soles dictabit, & annos,
Nam FUNDATOREM tanta Corona decet!

D E P R I M A A P E R T I O N E :

Publicæ Amplissime & Celeberrime Bibliotheca
Z A Ł U S C I A N A E.

QVam primum Anno Domino 1746. aperta fuerit Celeberrima
Bibliotheca ZALVSCIANA, tam primum eam visita-
vit Celsissimus PRINCEPS, Excellentissimus Illustrissimus &
Reverendissimus Dominus Antonius in Stupor SZEMBEK,
DEI & Sanctæ Sedis Apostolicae Gratia Archiepiscopus
Gnesnensis, Regni Poloniae & Magni Ducatus Lithuaniae Pri-
mas, Primusq; PRINCEPS cuius Gentilitium Stemma, sunt
Rosa, cum Capris,

I.

VIx reserata fuit pro Pallade condita Sedes,
PRÆSUL eam PRINCEPS visitat, atq; probat.
DOCTORUM primum Solium Primamq; Magistram,
Debebat PRIMAS rite probare prius.
REGES & PROCERES Libris fundantur & armis,
PRO-REX præsidium comprobat Ipse suum.
Quo JUNOSSA loco de Libris pascitur AGNUS,
SZEMBECIIS pasci debuit Ille Rosis.
Quæ via de folijs Librorum strata refusit,
Pro strato dictas debet habere ROSAS.

AGNUS

AGNUS qui meruit de Libris jura Coronæ,
Ecce coronari debuit Ille Rosis.

Sicut ad alta pedem JUNOSSÆ porrigit AGNUS,
SZEMBECIÆ Capræ, semper ad alta petunt.
Conveniunt motus CAPRÆ, cum motibus AGNI,
Motibus his Cælos, Bibliotheca petat:

II.

Sarmaticos Reges, Qui primo jure coronat,
Ille potest Libris, & Diadema dare.
Venit ad hos, ut eos PRO-REX PRIMASꝝ coronet,
Ut sceptrum Regni Bibliotheca ferat.
Perfecitq; suum munus pro Gentis honore,
Atq; coronavit nobile mentis OPUS!
Quod si ritè Libros PRINCEPS, chartasq; coronas?
Et FUNDATORI da Diadema, Thronum!
Tanquam Sol meritis fulget diademate dignus,
Tu Regni PRO-REX esto Corona sui!
Pro Regno fundavit OPUS mirabile, sanctum,
Debet EI Regnum, tradere scepta Throni.

III.

QUam sic magnificè fundatam conspicis Arcem,
Quod Tibi præ manibus Palladis ardet OPUS:
Hoc Claves Petri veneratur, corde tuetur,
Hoc Sanctæ Sedis jura, Fidemq; colit.

S

PON.

PONTIFICI Summo cum Libris subditur amplis,
 Et **CAPITI** Fidei, Bibliotheca subest,
Cumq; **CAPUT** Fidei, non posset tanta videre,
 Istius Molis culmina, tecta, sinus :
 Et cum non posset Libros revidere stupendos,
LEGATUS dictum **NATUS** adimplet opus.
 Visitat Excelsam Molem, Frontemq; Librorum ,
 Thesauros spectat Palladis, atq; Domus,
 Et cum nil Fidei reperit, cernitq; repugnans,
 Sed potius Fidei consona cuncta nitent:
 Approbat hoc magnum Regni spectabile Donum,
 Omnia decernit Sancta, beata, bona.
JUNOSSIS tandem **PRINCEPS** oracula pandit:
 Non Homines: pariet Bibliotheca DEQS.
 Nam qui cuncta Libris consecrant tempora vitæ,
 Censemur similes munere, mente Dijs.
Dùm Sanctæ Sedis **LEGATUS** facta probavit,
 Firmavitq; Tuum Bibliotheca Thronum,
 Non detrectabit votum concedere **PETRUS**,
 Addet PISCATOR Sacra Sigilla Tibi. -

IV.

SArmaticis Regnis, Populis, Gentiq; Polonæ,
 Dum fidei cœpit prima nitere dies:
Gnesna fuit primi tam Sancti luminis auspex,
Gnesna fuit Fidei, Forte Sacrumq; Caput. Ut

Ut Fidei primò suscepit Gnesna nitorem,
 Sic doctrinarum portus, & Ara fuit.
 Gnesna fuit veræ Doctrinæ Prima Magistra,
 Gnesnaq; Doctorum culmen, origo, scopus.
 Plenus ibi campus discendi, recta sciendi,
 Stabat ibi semper Palladis ampla Domus.
 Nec tantùm Fidei, Doctrinæ Gnesna Magistra,
 Ast Regum Sedes, Præsidiumq; Sacrum.
 Doctrinæ, Fidei, si Radix Gnesna refulget?
 Et si DOCTORUM Gnesna vetusta Caput
 Gnesnensis PRÆSUL tanto succedit honori,
 Librorum PRINCEPS, Palladis Ille Caput.
 Ille docendorum Præses, Primusq; Magister,
 Ille sciendorum Regula, Norma, Parenz:
 Non tantùm REGNI PRINCEPS, simul Ille docendi,
 DOCTORUM PRIMAS, Doctor, & Ille Pater.
 Altera cum Sedes pro Pallade condita Regno,
 Dum JUNOSSARUM Bibliotheca sonat:
 Debuit hanc PRÆSUL Gnesnensis primus adire,
 Et Fidei Sanctæ, Primus adesse Throno.
 Conveniens fuerat, tam sanctam cernere Molem,
 Doctrinæ sacrum Fronte videre sinum.
 Et vix Hic PRÆSUL, Sacratam viderat Ædem,
 Hoc præsente sibi Fabrica, Gnesna vetus!

(140)

Omnia cum tanto mutarunt Præfule formam,
Metropolis faciem, Bibliotheca dedit.
Et bene Metropolis primo gaudebit honore,
Bibliothecarum nam Caput, estq; decus.

V.

Amplissima Bibliotheca ZALVSCIANA, sub tempus Comitiorum Generalium Varsaviae celebratorum primò aperta, licet nondum protunc consummata.

IN Libertatis Lethicæ, Vocisq; Theatro,
Libera Gens dum fert Nuntia vota Throno.
Tunc etiam proprium reserat JUNOSSA Theatrum,
Tunc fulsit primò Bibliotheca ferax:
Dum sua REX toti referavit condita Regno,
Dum vox Terrarum, Libera Lingua fuit.
Pro Templis, Regno, Proceres dum Lege, locuti,
Non decet ut maneat Bibliotheca tacens.
Tam grandem praxim REGIS Regniq; sequendo,
Tunc etiam cœpit Bibliotheca loqui.
Tunc reseravit Opes mundi, reseravit & ora.
Ut se Regni Gens, audiat atq; Thronus.

VI.

Bibliotheca patens dum se reseravit & ora,
Quid tandem Regno, (quælo) locuta fuit?
Ut

Ut Fidei, Regi, fiat reverentia prompta,
 Ut Regni vigeat Gloria, fama, decus,
 Ut Procerum sensus, sit mens ac omnibus una,
 Ut nil privatum, publica sola gerant.
 Extremò tandem, resonanti voce loeuta:
 Ut FUNDATORI præmia digna ferant.

VII.

Quando Coronafam PRO-REX hanc fecerat Aulam.
 Jam fuerat meritò, jure potita Throni.
 Justa Throno sicut reddit Gens oscula REGIS,
 Hoc sibi jus meruit, Bibliotheca dari.
 Nam si Gens, Proceres, volvuntur ad oscula Regum
 Et quis detrectans oscula ferre Libris?
 Per quos firmatur Regnum, Regniq; venustas,
 Per quos redduntur sceptræ beata Throni,
 Nec detrectârunt Terrarum Nuntia corda,
 Oscula tam sancto reddere fixa loco!
 In reditu vero narrabunt omnibus Oris,
 Quam fulgens, radians Bibliotheca stetit!

VIII.

Ibera Gens quoties Regum consistit ad ora,
 Tunc solas Leges condere tota solet.
 Ut Leges Sanctas melius Respublica condat,
 Expandi Legum Bibliotheca sinum: Ac

Ac inquit : PROCERES si vestra Volumina defunt?
 En ego præsento Jura , Statuta , Libros !
 Illos continua, deposco revolvite mente ,
 De quo quis dubitat ? conferat , atq; legat .
 Antiquas Leges in me si ritè legetis !
 Lex describetur devia nulla Deo :
 Non stabunt Fidei, Regno, contraria jura ,
 Libera Vox fugiet dicere : verba VETO .

IX.

DUM pro Consilijs , Aquilarum convolat Orbis ,
 Et vicina solent Regna volare simul :
 Tunc Oratores Magnorum Nomine Regum ,
 Firmandæ melius fædera pacis agunt :
 In tanto Regum, Procerum, Regniq; Senatu ,
 Non potuit claudi Bibliotheca seris.
 Debuit instanter reserari Gloria Gentis ,
 Et JUNOSSARUM docta patere Domus :
 Ut videant, specent, mirentur Regna remota ;
 Quantum JUNOSSÆ præstitit ampla Domus !

X.

Non potest Civitas abscondi supra montem posita; neq; accen-
dunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super cande-
labrum, ut luceat omnibus qui in Domo sunt. Math: 5.

Abscon-

Ascendit claram nemo sub nocte lucernam,
 Sub modio pariter nemo reponit eam:
 Sed candelabri supra fastigia tollit,
 Luceat ut cunctis, quos capit una Domus:
 Bibliotheca quid est? radians & clara Lucerna:
 Excedens solis lumen, & omne decus.
 Hæc nunquam fuerat crassis servanda sub umbris,
 Lux sua sub modio non retinenda fuit:
 Publica sed Solis debebat signa videre,
 Ut cunctis terris luceat, atq; Polis!
 Et vix affulsit Regno referata Lucerna,
 Implevit radijs Luminis, omne solum.

XI.

Sarmatici Reges, Regnum firmare volentes,
 Ac ornare sui credita sceptra Throni:
 Fundarunt Regno Studium Generale docendi.
 Cui sedem Regum constituerè locum.
 Bibliotheca tamen non fulsit Publica Regno,
 Nemo pro tanto munere fudit Opes.
Quod non fecerunt Populis æraria Regum,
 JOSEPH JUNOSSÆ fecit & egit amor!
 Per quem de cunctis conducta Volumina Regnis,
 Ac impleta stetit Bibliotheca Libris:
 REGIBUS undè suis si grata Polonia regnat?
 JUNOSSÆ debet gratior esse magis! DE

DE SECUNDARIA APERTIONE,

*Seu verius publicatione, promulgatione, & Dedicacione,
Amplissimæ, & Celeberrimæ Bibliothecæ
ZALUSCIANÆ.*

Licet Anno 1746. aperta fuerit Bibliotheca ZALUSCIANA, tamen protunc nondum fuit in suo esse perfecta, ideo Serenissimo & Invictissimo Poloniarum REGI AVGUSTO III. non presentata: jam autem Anno Dñi 1747. integerrime, consummata est, pro die 3tia Augusti, Festiva Magni Nominis Serenissimi, Invictissimi, & Potentissimi Poloniarum REGIS AVGUSTI III. & in omni ordine debitissimo ex teris Bibliothecis consueto, disposita sietit, omnesq; Libri in ea, tanquam astra in cælo, ordinatissime comparuerunt,

I.

QUi Sol exoriens REGIS. præluxit honori,
Quæ fuit AUGUSTI Nomine Sacra dies:
Hac lucente die Lux Bibliotheca resulfit:
Hac CONSUMMATUS Nobile luxit OPUS!
Augustum Solium REGUM, pariterq; Librorum,
Nominis AUGUSTI debuit esse Sacrum:
Qui dignus fuerat Regno, Populoq; præesse,
DOCTORUM Solio rite præesse potest.
Bibliothecarum Sapientia, Regna tuetur,
Illam tutari fortia Regna solent.

AUGU-

(145)

AUGUSTI Gladij cognato fædere juncti,
Doctæ defendant omnia jura Domûs.
Et qui more Crucis fulgent in stemmate nexo:
Fortius infringent hæresis arma, Cruce.

II.

A Llucent quoties Regnis Natalia REGUM,
Regnum, Gens; Populus, munera ferre solent.
Dum Natalis Lux AUGUSTI fulsit honori,
Reddere quæ poteras munera Magne COMES?
Quam Sacram Sedem Libris, Musisq; dicatam?
Conveniens REGI, Bibliotheca decus.
Hanc dum sacrâsti REGALIS Nominis Aris,
Orbem Te totum credo deditse simul.
Nam tot collecti per mundi climata Libri,
Orbem præsentant, donaq; cuncta sui.

III.

TERTIUS AUGUSTUS Natali Nomine fulget,
Augusti mensis tertia clara dies:
Hic ternus numerus quænam mysteria monstrat?
Perfectum quidquid Bibliotheca fovet:
TERTIUS AUGUSTUS REX imperfecta recusat:
Imperfectum nil concipit, atq; gerit.
Nomine sub tanto, si Bibliotheca triumphat?
Tunc perfecta suo debet adesse gradu.

T

IV.

IV.

Juxta illud Axioma Philosophicum Tria sunt omnia:

Cum tria sub cælo, vere sunt omnia mundi,
Hæc verò servat Bibliotheca Tria:
Bibliotheca Libris radians, est Omnia mundi,
Omnia pro Terris, omnia proq[ue] Polis!
TERTIUS AUGUSTUS, PRINCEPS, Tria continet ista;
Omnia sit terris, omnia credo Polis:
Omnia plena gerens, jam comprobat omnia, dicens:
Bibliotheca patens: OMNIA: Nomen habe:.

V..

Ampla sub AUGUSTI REGIS, quod Nomine predit,
In vasti mundi Bibliotheca sinum:
Istud non reputes, aliquo discrimine factum:
Dictam non casus contulit ipse diem:
Sed JUNOSSARUM REGI subjecta Uoluntas,
Hoc fecit PRINCEPS KOSTKA, simulq[ue] COMES:
Hanc elegerunt pro tanto munere Lucem,
Hanc decreverunt per sua vota diem.
Ut quæ Sacra dies AUGVSTI Nomine fulget,
Hâc, capiat primam Bibliotheca diem.
Neverunt etenim quod REX sit Magnus Amator
Bibliothecarum: Gloria, Fama, Sator.

Novem

Noverunt quod sit Fidei Protector, & Vrbis,

Quod doctas mentes aestimet, atq; colat.

Quod cuius Gentis censetur Maximus Haeres,

Totus ibi veram promovet Iple Fidem.

Ac ideo Sedem pro Musis sponte dicatam,

AVGVSTO REGI constituere Sacram;

Ut sicut Fidei Divinæ Jura tuetur,

Biblio-sic thecæ protegat Ille locum.

Sicut Sarmaticum Regnum defendit ab hoste,

Defendat pariter Palladis ora, Domum.

Sicut REX, Regni Tutor, Defensor habetur,

Sic Defensorem Bibliotheca colat.

Sicut JVNOSSÆ REGEM venerantur, amantq;

Sic Illum Regem condita Pallas amet.

Vt se subiiciunt JVNOSSÆ, REGIS amori,

Subjectas Musas sic voluere suas.

Et sicut zelant JVNOSSÆ, REGIS honorem,

Hoc studiō zelet Bibliotheca Domus.

Sicut JVNOSSÆ referarunt viscera REGI!

Sic referet propriam Bibliotheca Domum!

Sicut JUNOSSÆ sacrant pro REGE cruentem,

Sic illum donet Bibliotheca Sacrum:

Victima pro Regno, sicut stat Nobilis AGNUS,

Sic Regi fiat victima Sacra suo.

VI.

*Sicut Celeberrima Bibliotheca ZALVSCIANA consummata est,
Et integerrima stetit pro die 3^{ta} Augusti: ita die octava e-
jusdem Augusti Anno 1747. aperta est, Et exposita in publi-
cum omnibus Doctoribus, Et Professoribus ad usum communem
totius Regni, Et Orbis:*

Campus Librorum factus perfectus, ut Octo,
Octava radians debuit esse die.

Quidquid in Octavo est, fertur perfectio summa:

In tali fulsit, Bibliotheca gradu:

Hinc summè perfecta manet, Lux ordine miro,

Consimili vellent astra nitere modo:

Ast errare solent erratica sidera cæli,

Errabit sapiens Bibliotheca nihil.

VII.

*Fecitq; die Octavo collectam, et quod dedicasset Altare se-
ptem diebus, Et solennitatem celebrasset diebus septem.
zdi Paral: 7.*

Quod Salomon septem celebrasset festa diebus,
Collectam Octava fecerat Ille die.

JOSEPH ZALUSKI non septem leito diebus,

Sed multis annis fecit, & auxit OPUS,

Octavaq; die Collectam perficit amplam,

Octavam Libris dando, dicando diem.

Hæc

Hæc Octava dies nunquam solennior Orbī,
 Nobilior nunquam, nulla beata magis !
 In qua Summorū referavit Iusta laborum,
 In qua DOCTORUM luxit aperta Domus;
 In qua JUNOSSÆ virtus radiavit, & AGNUS,
 Biblio - quā thecæ fulsit amica dies.
 In qua pro Fidei dono, tutela revixit,
 In qua pro Summo stant bona tela Petro.
 In qua prosperitas REGIS, Regniq; Potentis,
 Ex tantis Libris lecta , parata fluit.
 Hæc octava dies , cunctos celebranda per annos.
 Hanc coluisse decet , sœcula cuncta diem.

VIII.

*Postquam tota Majestas Bibliothecæ ZAŁVSCIANÆ
 aperta, referata, & manifestata fuerit, eadem Bibliotheca
 tanquam Mulier amicta Sole, Lunâ, & Stellis adornata,
 invitat omnes ad se invisendam, lustrandam, & fre-
 quentandam, illis verbis Venite ad me omnes qui la-
 boratis, & onerati estis, & ego reficiam vos.*

Consummata patet quando jam Palladis Aula,
 Ordiné dum miro Bibliotheca stetit.
 Nunc ejus formam , speciem, vultumq; videte !
 Nunc Majestatem, quæso videte, decus !
 Quidquid Nobiliūs, quidquid vel pulchriūs orbis.
 Continet, hōc totō Bibliotheca nitet.

Formæ

Forma decens superat purissima lilia cāmpi!
 Excedit roseas floris honore comas!
 Ejus vēstitus, non quāvis purpura simplex,
 Sed nitidi radiat solis amicta throno:
 Sub pedibus fulgent radiantia cornua Lunæ,
 Stella suum cingit jam duodena caput:
 Doctores etenim Solis, vel munere Lunæ
 Funguntur: reliquos sidera plura decent.
 Et quis Nobilior vēstitus, Purpura, byssus?
 Quodq; dabit majus candida gemma decus?
 Quid majus monstrant Regnorum lumina Reges?
 Quid Regnatrices majus habere queunt?
 Dum tam pulchra, gravis, radians, formosa refulget!
 Dum quāvis formā pulchrior una micat!
 Et quis ad ipsius non curret culmina velox?
 Quis tantum fugiet svave videre decus?
 Et quis tardus erit venerari munera tanta?
 Hos omnes Princeps Bibliotheca vocat!
 Currite festini, tandem properate! venite!
 Omnis concipiāt nobile DOCTOR iter!
 Currite nunc PROCERES, Populi, Regniq; Ministri,
 Huc veniant Lechici Numinā magna Throni.
 Jam referata patent mea pectora, viscera vobis.
 Jam referata patent limina, corda Domus!

Iam

Jam mensæ positæ , jam prostant fercula mentis ,
 Jam vites redolent , grata falerna Libri .
 Ah gustate precor sensu , pariterq; videte !
 Quam svavis doctis Bibliotheca Libris .
 Si custodirent has Ædes castra Leonum ,
 Si me vallarent agmina sæva lupi :
 Posset quis retrahi solito terrore ferarum ,
 Ingressum posset rite negare suum :
Sed me custodit radians ZALUSCIUS AGNIUS ,
 Mitis , & excellens , ac pietate gravis !
 Hic nullum terner nullum distardat , & arcet ,
 Ad cursum erecto concitat ecce Pede !
 Ergo currendum votis , alisq; volandum ,
 Aurea mox AGNUS vellera cuiq; dabit !
 Si mea vota , preces , si jam nescarmina prosunt ?
 Cor FUNDATORIS quæso videte mei !
 Hoc cor exardens Regni , tum Gentis amore ,
 Communisq; boni commoda semper amans ,
 Quis consolari non procurabit anhelum ,
 Quis contrastari consulet , atq; volet ?
 Terminus istius cordis , tum meta Suprema ,
 Propositum : finis , gloria sola DEI !
 Est Regni commune Bonum , Gentisq; Polonæ ,
 Ornamen , pretium , gloria , fama decus ;
FVNDA-

FUNDATORIS cor id tantum postulat unum,

Ut de me fructus omnia corda ferant!

Ut discant omnes, tandem doceantq; docendos,

Doctrinæq; suæ præmia digna ferant.

Hinc ut Doctores, Scriptores, atq; Magistri,

Ingenij dotes, cordaq; docta colant.

Addiscantq; Fidem forti defendere muro,

Et Regnum Libris irradiare suis.

Ut REX, & Regnum, Clerus, totusq; Senatus,

Hinc sumant Leges, Præsidiumq; suum.

Ut de tot tantisq; Libris Ecclesia tota,

Crescat, & hæreseos monstra nefanda terat.

Ad tam Supremum finem contendite cuncti!

Carpite de folijs fercula grata meis!

Ad me qui venient, largè satiabo, replebo!

Ac omnes Gentes, pane cibabo meo!

Et FUNDATORIS Nomen resonabo perenne,

Vivat in æternis mentibus atq; Libris,

Vivat in AUGUSTI Regnantis REGIS amore!

In Regni vivat pectore, corde, sinu!

Vivat in Amplorum DOCTORUM fronte, Senatu!

In toto vivat Palladis Orbe, Parens,

Vivat in Invictæ REGINÆ corde MARIÆ!

Vivat in Augusta CÆSARIS Arce, Domo!

Vivat

(153)

Vivat in excelsis septenis collibus Urbis!

Vivat! & Ipsius ROMA coronet OPUS!

Vivat in his Scriptis, Authoribus atq; Polonis;

Quorum de toto colligit Orbe Libros.

Vt nunquam pereant Gentis monumenta, Polona.

Vt quodvis noscat Scripta Polona solum.

Vivat & Excelsus FUNDATOR in æthera tendat!

Vivat, & in Cælis, scepta beata ferat!

In votis quòd longa forem, Palmisq; ferendis:

Filia, sum Proles Bibliotheca Tui!

Si Tibi nemo foret FVNDATOR; gratus in Orbe,
Bibliotheca Tibi grata Coronis ero;

IX.

Quam primum die octava Augusti Anno Domini 1747. aperta
est Bibliotheca ZAŁVSCIANA ad publicum Regni usum, tam
primum visitarunt eam, Primæ Dignitatis PRÆLATI,
Omnium Ordinum Doctores & Professores, omnes
PROCERES Regni, Varsaviæ praesentes,
& tota Varsavia.

Vix Octava dies terris illuxit, & Orbi,

Vix signata fuit temporis hora, situs:

Quâ referata fuit cunctis ZAŁUSCIA Pallas,

Et patulo steterat Bibliotheca sinu:

Mox ad tam sanctum Penetal, Sedemq; Librorum;

Venerunt primi Nomina magna Gradūs:

V.

Exivit

Exivit CLERUS visurus Palladis Aras,
 Et PRÆLATORUM clara Corona Patrum.
 Præsentes PROCERES Regni, Magniꝝ Ministri,
 Cursibus & votis hunc adi re locum.
Exivit REGVM Nidus, Varsavia tota,
 Exivit populus, sexus, & omne genus,
 Iverunt omnes DOCTORES, Ordinis omnis,
 Atq; PROFESSORUM Docta Caterva simul.
 Et quos Tyrones Sacr e claus re Palestr e,
 Hos dimiserunt tanta videre Bona!
Huc AUGUSTINI Doctorum Solis, Alumni,
 Angelici Thom e venit amica COHORS,
H c in Discipulis SCOTUS Subtilis adeste,
 Concipi t. magn e Templa colendo Dom s.
Huc LOJOLAN E doctissima Castra Minerv e,
 DOCTORES f sui vota ded re loco.
Pr claro Baccon RESOLUTUS in Ordine DOCTOR.
 Huc cum Carmelo sponte docendus adest.
 Et quotquot Doctis sacr runt corda Lyc is,
 Pr sentes ista sponte stet re die.
 Admirati sunt splendores nobilis auri,
 Admirati plus munera Sacra, Libros!
DOCTORUM prono venerati nomina cultu,
 Oscula conspectis grata ded re Libris;
 Et

Et FUNDATORUM mirati fortia corda,
 Quòd tantum Regno constituere Decus!
 Scrutati quanto sumptu, fervore, labore!
 Tam Doctis steterit Partibus ampla Domus!
 Conductos Tomos de longis finibus orbis,
 Investigarunt quot Sacra dona ferant!
 Cùm vero sese Libris statuere legendis,
 Senserunt illis dulcius esse nihil.
 Nec posset totus divelli sensus ab illis,
 Si sibi sufficerent saecula, vita, dies.
 Hinc decreverunt, hæc: quod ZAŁUSCIA Sedes,
 Totius mundi possit habere Libros.
 Et quòd jam teneat tot summa volumina, quotquot
 Per cunctas Gentes, Palladis Orbis habet.
 Tandem DOCTORES communi voce locuti:
 Hæc nostris regnet Bibliotheca Scholis,
 Hæc sit DOCTORUM PRINCEPS, Regina, Magistra,
 Hæc orbem totum per sua sceptræ regat.
 Huc Romana suas portet SAPIENTIA Laurus,
 Huc Sorbona gravis Gallica sceptræ ferat!
 Huc Complutenses DOCTORES, atq; Magistri,
 Atq; Conimbricæ per sua corda volent!
 Huc jam declinet grandes Salmantica Fasces,
 Idq; JAGELLONUM Pallas adoret OPUS.

Magni ZAMOYSKI magna virtute JOANNIS,
 Pro Doctis Musis Magna creata Domus:
 Hâc JUNOSSARUM Divina Sede Librorum,
 Ex multis titulis creditur esse minor.
 Bibliotheca videns DOCTORUM Pectus apertum,
 Observans plenè viscera grata sibi:
 Prompta salutavit DOCTORES, atq; Magistros,
 Et cunctis clara voce, locuta fuit:
 Quidquid in hac Sacra dignum comparuit Æde,
 Non mea virtus id contulit, atq; labor:
 Sed FUNDATORUM perfecit mutua Dextra!
 Omnis ab Illorum munere pendet honor.
 Fabrica tam Grandis, tam multa volumina mundi,
 Sunt JVNOSSARUM munera, dona, bona.
 A Libris quidquid pulchrum, vel splendet ab auro,
 AGNUS de proprio vellere cuncta dedit.
 Ut FUNDATORUM Tantam me gratia fecit,
 Omnia sic gratis munera dono, fero.
 Tempore quô quisquis nostras descendet ad ædes,
 Omnia comperiet prompta parata sibi.
 Prostant DOCTORES Orbis primiç Magistri,
 Et collecta manent ordine Scripta, Libri:
 Totus ad hanc molem faciendam contulit orbis,
 Et FUNDATORUM totus adussit amor.

His

His FUNDATORUM donis, gázisq; Librorum.

Omnibus est promptum tempore, sole frui.

Si vestrū studium magnum, virtusq; legendi?

Discendi si vos urget, adurit amor?

In me major adest ardor, candorq; docendi,

Atq; magis fervent viscera, corda, Libri!

Ut vestris totum possim concedere votis,

Quod vester sensus postulat, atq; petit.

Bibliotheca suis clausis sermonib; istis:

Doctores (inquit) quælo Valete mei:

Expecto vestros sensus, & cordis amores,

Expecto vestri forte laboris opus:

Ac exercitium de me Librisq; futurum

Expecto vestrum prælia docta Ducum:

Ad me qui venient, Illorum nomina scribam,

Doctorum fastis, facta notabo meis:

Qui non curabunt nostras invisere Sedes,

Non aderunt nostris nomina scripta Libris:

Si desint homines, si desit cura sciendi,

Me sic ornatam sidera cuncta legent!

Si me DOCTORUM non curet Sacra Corona,

Angelicæ mentes, tam pia dona colent!

Pensabit nostrum studium sublimis Olympus,

Atq; coronabit munera nostra DEUS!

Illustrissimus & Excellentissimus Dominus IAXA BRA-
NICKI, Palatinus Cracoviensis Supremus DVX Exerci-
tuum, Campi, (de Domo & Familia antiquissima illius IA-
XÆ, qui Canonicos Regulares S. Sepulchri, de Ecclesia Pa-
triarchali Hierosolymitana, primus introduxit in Poloniam,
eosq; in Bonis suis Hæreditarijs Miechovia dictis liberalissime
fundavit) in assistentia Amplissimorum SENATORVM
Regni, Illustrissimi SAPIEHA Palatini Podlachiae, Illu-
strissimi RVDZINSKI, Castellani Czernensis, Illustrissimi
IOSEPHI NAKWASKI, Castellani Ravensis, & Illu-
strissimi GODZKI Supremi Præfecti Culinæ REGNI, & alio-
rum plurimorum Procerum, & Nobilitatis Polonæ, visi-
tavit Bibliothecam ZALVSCIANAM, Anno Dñi 1747.

QUAMVIS Mars atrox cingatur fortibus armis,
Quamvis continuo fulmina, bella tonet:
Quamvis non timeat generoso sanguine tingi,
Et cædes, mortes, vulnera nulla fugit.

Attamen hic præter stridentia cædibus arma,
Palladis auxilium suspicit atq; petit.

Nunquam deformat Martem Lex Sacra Minervæ,
Bellonæ consors Pallas adesse potest.

Hoc MARS SARMATICVS facto demonstrat in ipso,
JAXARVM Generis Gloria, Dulce DECVS.

Atq; PALATINUS Terræ BRANICCIUS Amplæ
(Quæ REGVM Sedem Metropolimq; tenet)

Qui

Qui quamquis Martem generoso corde sequatur,

Imò MARS verus DUXq; Supremus adest:

Attamen invisit JUNOSSÆ Palladis Aulam.

Arma sui cupiens jungere docta sibi:

Quam vix lustravit præstò decrevit Eandem,

Totius MARTIS Præsidiumq; suum!

Dicens: Hæc Sedes Divinis condita Libris,

Erudiet Martem quomodò bella gerat:

Illa Duces magnos, Heròés tota docebit,

Quæ sint justitiæ consona bella sacræ.

Illa dabit praxim legiones, castra legendi,

Quomodò metari fortia castra decet?

Decernet quandò pugnandum, quandò silendum,

Illaq; Sarmaticæ fædera pacis aget.

Ad Martem Regni, quidquid concernit ad arma,

Illa dabit Leges illaq; Jura feret:

His dictis Sacræ valedixit Sedis honori:

Mente tamen servans Palladis istud OPVS.

Consensere sibi præsentia membra Senatûs:

Et Castellani vota dedere sua:

Quòd JUNOSSARUM tam Sacrum munus & amplius,

Norma SENATORUM, Regula, Culmen erit:

Ex quâ Consilij deproment dogmata vera,

Atq; dabunt Regnis jura beata suis,

Supre-

Supremusq; Dapum Regni, Præsesq; Culinæ,
 Hanc spectans molem, talia prorsùs ait:
 In dapibus Regni nil sensi dulciùs unquam,
 Bibliotheca mihi conferat una dapes:
 His si constanter mentem sensumq; cibabo,
 Vitæ perpetuæ munera certa feram.
 Hoc reliqui PROCERES, Equites, Aquilæq; Polonæ,
 Cum proprio Sedis tecta, videndo DVCE:
 Senserunt: pariter dixerunt voce diserta:
 Bibliotheca Domus Nobilitatis erit!
 Huc venient Equites Aquilarum vasta Propago,
 Hic nostri discet tota Juventa Soli:
 Non Equites nostri longas mittentur ad oras,
 Quærere non debent Gallica Regna, sinus.
 Hic totum quidquid præsentant Regna remota,
 Unica JUNOSSÆ Bibliotheca docet.

XI.

Illusterrimus Palatinus IAXA BRANICKI, visitans Bi-
bliothecam ZALVSCIANAM, habet pro stemmate Gry-
phum, originale & antiquissimum IAXARVM, Decus.

GRYPHS HS præsentit ubi servatum purius aurum,
 Duxunt ibi sedem nidificatq; sibi.
 Thesauros auri custodit, protegit, instat,
 Nè quisquam rapiat fulgida dona soli.

Dum

Dum GRYPHS JAXARUM Sacratam visitat Aedem,
 Auri sensit ibi nobilis arva; locum:
 Quod non de terræ prodit, vel nascitur antris,
 Sed quod de scriptis promicat, atq; Libris:
 Hoc delectatur Gryphs tam sublimis in auro!
 Hæc ejus yotis aurea vena placet!

XII.

*Gryphus dimidia corporis sui parte Aquilam præsentat; resi-
 dua vero corporis sui parte Leonem exhibet; consequenter Di-
 gnitatem Regiam, ex utraq; parte præfert: Aquila enim Rex
 avium: Leo autem Rex animalium dicitur esse: undè Gry-
 phus potest habere Lemma: Vndiq; Princeps.*

DImidios Gryphis si species corporis artus,
 Hic Aquilæ formam porrigit, atq; reficit;
 Si verò reliquum corpus spectare studebis,
 Indomiti fortis signa LEONIS habet:
 Symbola prædicti Gryphis, BRANICCIUS implet,
 Principis, & Regis munera totus habet,
 Si totum species BRANICKI corporis actum,
 MARS est Invictus, prælia Martis agit.
 Si verò mentem, sensum scrutaberis Ejus,
 In tota vita Palladis ora tenet.
 Vndiq; Rex animo, Supremus & undiq; Princeps,
 Ille sagò fulget, splendet & Ille Toga.

W.

Sicut

Sicut amat Martem, sic pensat Palladis artem,
 Undiq; DUX Princeps, undiq; scepta tenet.
 Et sicut Martem fortē cum Pallade jungit,
 Sic Mars Invictus Palladis acta colit.

XIII.

*Qui Gryphus in Persona Strenuissimi Herōis IAXÆ Fundatoris
 in Polonia Canonicorum Regularium Sanctissimi Sepulchri ante
 sexcentos annos, visitavit Sepulchrum Christi, hic & idem
 Gryphus in Persona Illustrissimi IAXÆ BRANICKI,
 visitat Bibliothecam ZALVSCIANAM.*

QVi Gryphs vivificum Domini Sanctumq; Sepulchrū,
 Sexcentos annos viserat ante, prius:
 Hic mōdō sublimem Musarum visitat Arcem,
 Biblio-nunc-thecæ respicit Ille finum.
 Jerusalem Sacram JUNOSSÆ vidi in Aede.
 Et Terram Sanctam sensit adesse domi:
 Namq; hæc Jerusalem præsentat Nobilis Aedes,
 Hæc Terram Sanctam signat honore suo,
 Commemorat Christi mirum, vitale Sepulchrum,
 In se quæ sepelit maxima gesta DEI.
 Hæc in se Tumulum præbet formatq; Librorum,
 De quo non jam mors, vita sed ampla redit.
 Tamq; Locum Sacrum Gryphs est veneratus, &c inquit:
 Hic est Jerusalem, Terraq; Sancta mihi.

Sicut

Sicut ibi CHRISTUS natus de Virgine fulsit.

Sic h̄ic de Sacris nascitur Ille Libris :

Sicut ibi docuit Fidei Sanctissima verba ,

Sic h̄ic per Libros prædicat , atq; docet.

Sicut ibi Tumulo clausus , de morte revixit,

Sic h̄ic ad vitam mortuus Ille redit.

Pro Terræ Sanctæ , quō Gryphs permotus amore ,

Pugnavi ferro bellaq; dura tuli:

Quā pro Divini certavi lege Sepulchri ,

Hâc virtute teram Palladis omne malum ,

Oscula quo gustu concessi grata Sepulchro ,

Hæc tam Divinis oscula figo Libris.

Et quos pro Tumulo quærebam Marte triumphos ,

Hos nunc pro Masis quærere , ferre volo.

Pro Terra Sancta suscepi quosq; labores ,

Hos pro JUNOSSIS fortibus , Ipse feram.

XIV.

*Omnes exteri Equites , & Heroës venientes & transeuntes
Varsaviam, visitant Bibliothecam ZAŁVSCIANAM.*

QVi de finitimus populis , Regnisq; remotis ,

Ad Lechici veniunt littora , Regna soli .

Bibliotheca sibi primaria meta videndi ,

Phænix Sarmaticæ Gentis , & Ara Poli .

W 2

Hinc

Hinc ad eam, primò, vestigia prompta capessunt;
AGNI, visuri gesta, suumq; thronum.
Omnia si videant, nil se vidiisse fatentur,
 Si non visa simul Bibliotheca foret.
Quam dūm scrutantur, percurrunt, atq; revolvunt,
 Postquam Scriptorum munera Saera legunt:
Publica Judicii, sensūs, hæc vota loquuntur,
Quod sit Sol Regnis Bibliotheca suis.
Biblio-quod-thecas Regum splendore stupendas
 Si non excedit, prorsus adæquat eas.
Finitimæ Gentes si tantum culmen honoris,
 Biblio-dant-thecae Sedibus atq; Libris?
O quantò majus stringuntur Regna Polona!
 Arbitrium, sensum, judiciumq; dare!
Quanto majori debent pensare valore!
 Tam magnum Pignus, dulce Sacrumq; Bonum?
 Promptius ô quanto debent invisere dictum,
 Expositum Musis, Principibusq; Locum!

XV.

*Serenissimus Invictissimus, & Potentissimus Poloniarum
 REX, AVGVSTVS III. Bibliothecam ZAŁVSCIA-
 NAM in Regiam Protectionem suscipit, quamvis eam visi-
 tare non potuerit propter absentiam suam in Regno Poloniae.*

Vix

VIx JUNOSSARUM Pallas pervenit ad aures,
 AUGUSTI REGIS, PRINCIPIS, atq; DUCIS,
 Obstupuit Magnus REX, Magnæ Sedis honorem,
 Sensib; atq; suis appretiavit Opus!
 Et dixit: quantum Regnis sua mænia prosunt?
 Quantum nos Arces totaç; castra juvant:
 Castellis quantum fortis virtutis inhæret,
 Bibliotheca pari robore firma suo:
 Hæc pro Castellis, pro cunctis sufficit armis,
 Hæc Regnis, populis, arma modumq; locat.
 Si justum muros, arces, castella fovere?
 Si dignum Regno castra tenere Ducum?
 Bibliotheca magis nostro censemur amore
 Dignior! & cunctis arcibus illa placet!
 Hæc nostri Regni castellum forte, stupendum,
 Hæc Arx, hæc Turris, Præsidiumq; Throni!
 Hinc ut protegimus Turres, Arcesq; Potentes,
 Sicut Castellis Regia Jura damus:
 Protegimus pariter JUNOSSAS Pallade Magnos,
 Protegimus Sacræ condita Templa Domūs.
 Bibliotheca sacris nostris decertet in armis,
 Illam præsidium, subsidiumq; decet.
 Quos Gladios gerimus pro nostræ Gentis honore,
 Tutamurq; quibus Regna, suosq; Lares:
 W; Biblioth-

Bibliotheca simul Gladijs his tuta fruatur,
 Illis se cingat, muniat, atq; tegat.
 Nos Gladijs nostris ejus cingemus honorem,
 Ac defendemus Jus, pretiumq; suum.
 Nec permittemus casum, fatumq; ferale,
 In nostris Gladijs Maxima Pallas ovet?
 Producat magnos, claros, celebresq; triumphos.
 In nostro regnet Bibliotheca Throno:
 Ut florent nostro de sanguine Lilia Regni,
 Gallorum: Populus, Gensq; beata manet:
 Ut SICULI REGES nostro nectuntur amore,
 Et jam Regalis Prolis honore nitent:
 Ut nostro Solio PRINCEPS BAVARIA gaudet,
 Saxonumq; sacro murice tota rubet:
 Sic in eis Regnis, regnet ZAŁUSCIA Pallas,
 Hæcō suis doceat Bibliotheca Libris.

XVI.

Serenissima, Invictissima, & Potentissima MARIA IOSEPHA REGINA Poloniae, parem suam Regiam protectionem declarat, Bibliothecæ ZAŁVSCIANÆ.

UT REGEM nequit Pallas fundata latere,
 Sic ad REGINÆ, venit & illa Thronum:
 Ejus in aspectu postquam formosa reluxit,
 Et tanquam stellis tota corusca Libris.

IOSE-

JOSEPHI Sedem grātē JOSEPHĀ reecepit.

Et Regina Sacrum prompta probavit Opus.

Hæc (inquit) Sedes non tantum congrua REGUM,

Imperij solium, CÆSARIS esse potest:

Sicut ab Imperio præclarum Nomen habemus,

Sicut CÆSAREA Gente, Domōq; sumus:

Imperij Clavum sic dictæ reddimus Aulæ,

Imperium doceat Bibliotheca Sacrum.

Ex Aquilis sicut censetur clara Polonis,

Sic Aquilæ Imperij dent sua sceptræ sibi:

Sicut Nos genuit de cunis AUSTRIA Princeps,

Sic nostram generet Bibliotheca Domum.

Archi-Duces, Proceres, Magnos doceatq; Nepotes,

Illi Musis Austria tota micet.

Dùm verò Gladijs sedem REX texit Eandem,

Dùm sibi Præsidium forte Sacrumq; dedit:

A nobis similem candorem Pallas habebit:

Ut REGINA tegam Grandia Templa Domūs,

Accedet nostris supremis Austria votis!

Sacrum Musarum proteget ampla sinum.

XVII.

Serenissimi REGII PRINCIPES Poloniæ, & Electo-
rales Saxonie, pari dignatione amplectuntur Bibliothecam

ZALUSCIANAM.

Magni-

MAgnum REGUM procedens Sangvine Proles,
 A cunis quamvis Corpus ad arma ferat:
 Ad Martem quamvis mentem disponat, & artus,
 Attamen illa prius Palladis arma capit:
 Primo se Musis accingit tota colendis,
 Tum posthac Martis castra, sinumq; colit,
 Dum JUNOSSARUM Pallas fundata refulsit,
 PRINCIPIBUS REGIS Regia structa Schola:
 Ex qua perdiscent Gentes, & Regna tueri,
 Cognoscent clarè quomodò scepta gerent?
 Hæc etenim solis non est Doctoribus aucta,
 REGIBUS apta manet, PRINCIPIBUSq; suis:
 Ex hac Doctores Fidei documenta capessunt,
 REGES, atq; DUCES, Jura Suprema ferunt:
 Hic omnis PRINCEPS de Regni lege docetur,
 Hic Princeps omnis cernitur esse Liber:
 REGIA dum tantam cognovit Sacra PROPAGO
 Musarum Sedem, prorsùs amavit eam:
 Ex tunc illius splendorem tota probavit,
 Dicens: hic nobis summa beata quies!
 Regnandi Leges Sanctas discemus in illa,
 Illa beat nostræ scepta futura Domûs!
 Nos verò Sacram semper servabimus Ædem;
 Ut sua floescat gloria, Nomen, honor!

XVIII.

*Tota Polonia gratu'n animum exhibet Fundatoribus Publicæ
Bibliothecæ Varsaviensis.*

Quidquid ad excelsi Regni concernit honorem,
 Hoc totum Sacra Lege probare decet.
 Ut qui pro Regno certant, vel Gentis amore,
 Congrua pro meritis præmia, dona ferant.
 Quæ si reddantur, succrescit & æmula virtus,
 Et reliquis promptum nobile calcar erit,
 Quando meum Regnum conversa Polonia specto,
 Quis majus, melius Sarmata fecit Opus?
 Quam JUNOSSARUM Supremus candor amoris,
 Per quos producit Biblioteca Libros,
 Fundarunt tantam Magnis Doctoribus Ædem:
 Quantam non vidit nostra CORONA parem.
 Fundarunt tantam pro Magnis Regibus Aulam,
 Cujus nec Salomon prævia signa dedit.
 Fundarunt Regno Sacrum commune Lycæum,
 Ex quo Gens promptè discere tota potest.
Hoc JUNOSSARUM dum cerno Polonia Factum!
 Non possunt mentis signa latere meæ:
 Hinc resero sensum, gratam pronuntio mentem,
 JUNOSSAS totum debet amare solum!

(170)

JUNOSSIS debet Populus , Gens, præmia Regnum ,
JUNOSSIS, & EGO vincita, ligata feror !
Quidquid fundârunt Suprema comprobo Lege,
Bibliotheca mihi munera Legis aget.
Ex hac decernam cujusvis prælia belli ,
Ex hac dilectæ fædera pacis agam :
Ex hac Regnorum pensabo jura meorum ,
Hâc Regni Gentes, hâc mea sceptrâ regam .
Cum verò gratæ nil prosunt vincula mentis ,
Si meritis desint præmia digna suis :
Vos PROCERES Regni stipendia certa laboris ,
JUNOSSIS præstò ferte locate meis !
Quòd canibus, pompis, vestris impenditis Aulis ,
Illud pro Musis, Terra Polona ferat.
Et FUNDATORES vestris inscribite Fastis .
Illiорum Nomen sæcula cuncta gerant.

XIX.

Illusterrimum Reverendissimum & Peraugustum Capitulum Ca-
thedralē Cracoviense applaudit fundatae Bibliothecæ ac Ipsi Cel-
lissimo PRINCIPI , Vigilantissimo Pastori suo. Prefati au-
tem Capituli Stemma sunt tres Coronæ : ubi simul de-
scribitur idem Capitulum Cracoviense.

Pontificum Semen, Regni Lux, Vena Senatus ,
Et Procerum Nostri, Portio magna Throni :
Flos:

Flos Craciæ Cathedræ, CLERI selecta Corona;
 Et Succus Lechicæ Nobilitatis, honor :
Tota SENATORUM Sacrorum, Sancta Propago,
 Et PRÆLATORUM Concio tota favens :
Præsulibus Cracijs Comites, Fratresq; Sacrati,
 In Pastorali munere Fulcra, Bases !
Quos violæ cunctos, radians & Purpura vestit,
 Quos Regni Themis sub sua signa vocat :
 Ac audit venerans Illorum oracula sacra,
 Et servat quidquid per sua vota ferunt :
Aurea quos tandem nunc Distinctoria cingunt,
 Aurea quòd fuerint facta Stupenda sui :
Ad Tua conveniunt Pallas ZAŁUSCIA Templæ,
 Miranturq; Tuos Bibliotheca sinus.
Sic admirati, votis communibus omnes,
 In plausus properant Pallas Amica Tuos.
Dicentes: quamvis millenis digna Coronis,
 Sit JUNOSSARUM Bibliotheca Sacra :
Nos quot concernunt primo de jure Coronæ;
 Has illi pleno pectore, corde damus.
Et quia Nos tantum concernit Terna Corona,
 Hæc istam cingat Terna Corona Domum.
Si non sufficiunt prædictæ dona Coronæ,
 Omnia corda simul, viscera nostra damus :

Atq; coronamus tam Sacram cordibus Arcem,
 Illaq; sit nostris cordibus Ara, Thronus,
 Omnia corda simul Sacro submittimus A G N O ;
 Ex illis semper sit Diadema sibi.

XX.

*Sancta & Purpurata Sangvine Divinissimi STANISLAI Epi-
 scopi & Martyris Ecclesia Cathedralis Cracoviensis applau-
 dit Bibliothecæ ZAŁVSCIANÆ, ac Ipsi Celsissimo
 PRINCIPI SPONSO SVO.*

DUM REX AUGUSTUS pariter Regina MARIA
 Comprobat ampla Tuum Bibliotheca Thronum:
 DUM Terræ, Gentes, & tota Polonia Regnans,
 DUM Primi PROCERES, atq; SENATUS amat,
 Jure Coronatrix PRINCEPS Ecclesia REGUM,
 Plausibus his Regni conor adesse Tuis!
 Atq; STANISLAI Pastoris Sangvine mersi
 Crudeli ferrô, dissita membra fero.
 HÆC, inter raros thesauros reddo Minervæ,
 His donis niteat Bibliotheca Sacris.
 Splendeat his Gemmis, Gemmarum Conditor AGNUS,
 Atq; novas Gemmas, per sua SCRIPTA ferat.
 Ut dissecta Pii Pastoris membra Sacrata,
 Divinô digito juncta fuere simul:

Sic

Sic & dispersi per mundi culmina Libri,
 Juncti conveniant, ad Sacra Tecta Domus.
 Martyris ut carnes Aquilæ texere rapaces,
 Ut membris veniat nulla rapina suis.
 Sic Aquilæ Regni, Custodes Nobilis Ædis,
 Fiant: ac alîs Palladis arva tegant.
 In quo Vavello Claves, & scepta ministro,
 Hæc nunc submitto Bibliotheca Tibi!
 Qui Mons Vavellus, gignebat monstra Draconum
 AGNUM JUNOSSÆ pronus adoret, amet,
 Quos REGUM cineres inter mea Mænia condo;
 PONTIFICUM Manes quos mea Tecta sovent:
 Hos de pulveribus Supremis, fuscito cunctos,
 Ut plaudant Musis Bibliotheca Tuis.

XXI.

Regia & Insignis Collegiata Ecclesia Varsaviensis sub titulo
 Decollationis S. IOANNIS Baptiste existens, applaudit
 Bibliothecæ ZAŁVSCIANÆ, & Ipsi Illustrissimo & Reveren-
 diissimo Referendario Regni. Præposito & Sponso Suo.

QVæ regitur sceptris Ecclesia clara JOANNIS,
 Quæ Convénta audit Fædera, Pacta Throni,
 REGIBUS Electis resonat quæ sola triumphos,
 Et totum Regnum claudere sæpè solet:
 Illa sui Capitis PRÆLATI plaudit honori,
 Biblio-de-theca gaudet, aitq: simul;

Audivi vocem CLAMANTEM tota JOANNEM,
 Nunc AGNI, pariter Palladis, ora sequar.
 Quæ de Librorum Sylvis resonare videntur,
 Atq; quibûs mundi Regna sinusq; replent,
 Unitas voces AGNI, pariterq; JOANNIS
 Quandò sequar, melius cælica verba loquar.
AGNI cælestis monstrabat signa JOANNES,
 Dicens: hic tollit crimina cuncta Soli:
 Nunc JUNOSSARUM demonstrat nutibus AGNUM,
 Ac ejus voces svadet amore scqui.
 Dicens: hic AGNUS tollit dispendia mentis.
 Ac ignorandi nubila tota fugat.
 Nam dūm pro Musis Parnassum struxit amænum,
 Tunc ignorandi sustulit Ille modum.
 Imò produxit campum, fontemq; sciendi,
 De quo vel Musæ discere multa queunt.
 Vox clamans quondam Magnus virtute JOANNES,
 Desertis solis ore locutus erat.
 Per densas tantùm sylvas reboabat, & antra,
 Herbarum folijs vivere moris habens.
 De sylvis illis, ad sylvas, tæsqua Librorum,
 Prodit: Clamantis munus & implet onus;
 Clamat, ut ad sylvas Musis per sæcula Sacras,
 Omnis festino poplite currat homo.

Vtq;

Utq; vias Domini procuret rite parare,
 Et rectos gressus semita quæq; locet.
 Vocibus his parens Ecclesia tota JOANNIS,
 Ad sylvas (inquit) Palladis ipsa volo!
 Ad sylvas AGNI Musis, Librisq; refertas,
 Affectus, sensus, pectora, corda fero.
 PRÆLATI, Sponsiq; mei jam Culmen adoro,
 Oscular, & Musis dona sacrata pijs.
 Oscular, effusum Sponsi Fundantis amorem,
 Cum Sponso in Libris, vivere Sponsa volo:
 Et sicut Sponsus Libros non deserit unquam,
 In Libris, ejus gaudia tota, quies,
 Sic ego cum Sponso Libris instabo legendis,
 Cum sponso Musas sponsa fidelis amo.
 Atq; colam semper, venerabor, semper amabo,
 Bibliotheca mihi campus amoris erit!

XXII.

Aliud ex circumstantia decollati CAPITIS Sancti IOAN-
NIS Baptiste..

QUod CAPITI munus, feret JUNOSSA, JOANNIS,
 Grandis erat mentis cura, laborq; suæ.
 Post multos tandem sudores, atq; labores,
 Conveniens CAPITI nobile munus habet.
 Si quæris munus dignum pro Fronte JOANNIS?
 Congruus est Capiti Bibliotheca Thronus, Bi-

Bibliotheca Caput sicut conforme requirit,
 Biblio- sic thecam postulat omne Caput.
 Hoc munus , CAPITI Baptistæ , Conditor offert,
 Acceptat Sacrum munera tanta CAPUT.
 Comprobat à SPONSO Doctum , Sacrumq; monile ,
 Plùs illud toto ponderat orbe simul !
 Et quamvis CAPUT hoc fuerit de Corpore scissum ,
 Prorsùs adhuc vivæ , munera mentis habet ,
 Herodem Regem sicut terrebat iniquum ,
 Sic deterrebit cuncta pericla Domûs .
 Præfatum Regem quanto fervore monebat !
 Sic Reges alios nonnè monere potest ?
 Ut pro Divino quondam certaverat AGNO ,
 Sangvinis & fudit larga fluenta sui :
 Pro JUNOSSARUM pariter certabit & AGNO ,
 Aras defendet Palladis , atq; Thronum .
 O quàm fausta manent fundatæ Templa Minervæ ,
 Quæ tam condignum promeruere CAPUT !
 O quàm docta feret FUNDATOR dogmata mundo !
 Qui tanti CAPITIS munere doctus adest !

XXIII.

Ducatus & Palatinatus Mazoviaæ applaudit Bibliothecæ ZA-
 LVSCIANÆ. Porro Stemma Ducatus Mazoviaæ est Aquila
 alba in campo rubro , sine Corona .

Quamvis

QUamvis tot meritis niteat Mazovia tota;
 Hanc tamen insignis nulla Corona decet:
 Nam quâ pro Ceris Aquilâ , de lege potitur,
 Hanc nullum sertum , nulla Corona tegit.
 Bibliotheca suo dum fulsit clara Ducatu,
 Jam diadema sibi , jamq; Corona patet?
 Biblio- nam- thecam capiet pro Lege Coronæ,
 Bibliotheca AGNI summa Corona sibi.
 Palladis è manibus Mazovia quandò Coronam
 Sumit: conveniens Ipsa coronet eam
 Hinc PROCERES, EQUITES Terræ, magniq; Ducatus.
 Fiant JUNOSSÆ magna Corona Domus:
 Illam conservent , defendant fortibus armis,
 Pro se decertet, pugnet & omnis EQVES.
 Et quia pro tanto dono, Mazovia nullum.
 Subsidium, nullam fecit, & egit opem,
 Concurrat primô PRINCEPS MAZOVIA votô,
 Ut FUNDATORES Sacra trophæa ferant.
 Sicut enim primo MAZOVIA gaudet honore,
 De pretio Sacræ Palladis, atq; sinu:
 Sic primum votum JUNOSSÆ conferat AGNO;
 Ut gratos PROCERES sentiat ejus amor.
 His commota loqui cœpit Mazovia dictis:
 JUNOSSAS Magnos æstimo, semper amo,

Illorum virtus Regnum complevit, & Orbem,
 Ore suo REGES concupière loqui.
 Ornârunt Illi Mitras, Primasq; Tyaras,
 Atq; SENATORUM forte fuere Decus :
 Principibus sceptris semper luxêre capaces,
 Doctos JUNOSSAS ambijt omnis honor,
 Nunc quandò tantam fundârunt Palladis Aram,
 Aris sunt digni , muneribusq; Throni :.
 Quidquid fuderunt sudoris ; sanguinis , auri ,
 Hæc debet Regnum reddere cuncta sibi.
 Ut semper crescat Sacrorum summa, Librorum ,
 Floreat, & vigeat Bibliotheca magis.
 Ac incrementum capiant hinc Regna Polona ,
 Et per id aucta simul luceat una Fides.

XXIV:

Tota Varsavia Vrbs Residentialis Regum, de fundatione Biblio-
 theca ZAŁVSCIANÆ exultat. Porro Stemma Varsaviæ
 est Syren.

QUæ nuper fueram Syrenis voce locuta ,
 Dulcibus ipsius sapientiis usi sonis ,
 Nunc alias voces, sensum Varsavia sumo ,
 Syrenum nunquam voce, tonôq; loquar.
 Bibliotheca mihi voces ZAŁUSCIA format ,
 Expedit ipsius Doctius ore loqui .

Incipi-

Incipioqs loqui, quod justum sentio, Sanctum,

Quod mihi mens facti conscientia dictat ; ait :

Tota quibus titulis fueram Varsavia clara ,

His titulis caepi clarior esse meis :

Et quotquot poteram primos monstrasse decores ,

Nunc mihi major honor, majus adestque; decus !

Bibliotheca mihi plenum superaddit honorem ,

Quod fuerit campo condita , structa meo !

Nam quod longinquae coguntur querere Gentes ,

Urbes, quo nostrae munere, sorte carent ,

Hoc donum proprijs Laribus servabo , tenebo ,

Hoc ego supremum munus habebo domi .

Et jam possideo : jam Doct*a* gloriior Ara ,

Jam Musae resonant, tangit Apollo Lyram .

Jam tanquam soles , radiata volumina fulgent ,

DOCTORUM tota fronte Senatus adest .

Vellere me totam Sacratus vestijt AGNVS ;

Jam JVNOSSARVM signa , trophae^a micant .

Quae totum Regnum magnae circumdatis Urbes ,

Dicite : quodnam par fertis, habetis OPVS ?

Si de Castellis vestrum pensatis honorem ?

En est Castellum Bibliotheca meum !

Arcibus , & muris si vestras cingitis oras ;

Arx est , & murus Bibliotheca meus !

Si vos jactatis totius mercibus orbis;
 Bibliotheca, Libri, merx pretiosa mihi.
 Hanc tanquam Matrem summo venerabor amore,
 Atq; meam sobolem lacte cibabo suo:
 Ut Syren pelagi contemnit tuta procellas,
 Sic ego contemnam cuncta pericla maris:
 Palladis auxilio, superabo monstra marina,
 Nam mihi sufficiens Bibliotheca Ratis.
 Quæ verò Syren Cives, signabat & urbem,
 Quæ fuerat nostrum Stemma, simulq; Decus:
 Nunc nostrum signum fiat ZAŁUSCIA Pallas,
 Hæc Urbis nostræ Stemma, perennis honor!
 Subsit ei Syren, Doctrinam discat ab illa,
 Dulcior ipsius cantus, & Urbis erit!

XXV.

Vistula Fluvius Regni Poloniæ, Varsaviam circumfluens, aplaudit Bibliothecæ ZAŁUSCIANÆ, conformiter ad illud
 Psal: i. Et erit tanquam lignum quod plantatum est se-
 cus decursus aquarum: quod fructum suum dabit in tem-
 pore suo. Et folium ejus non defluet: Omnia qua-
 cunq; faciet prosperabuntur.

QVæ prope decursus, Frondes plantantur Aquarum,
 Eximij fructus munera, dona ferunt:
 Illarum parvum folium nec defluer unquam,
 Omnia quæ faciunt, prospera, fausta manent.

Dùm

Dum fluvius Regni, fluviorum Vistula Princeps,
 Circum fundatæ Palladis ora fluit:
 Est propè decursus sapiens hæc Pallas aquarum,
 Æquales fructus Gentibus illa feret.
 Nec minimum folium prædicta defluet Æde;
 Omnia quæ faciet, prospera semper erunt!
 Nam proprijs lymphis consperget Vistula Fundum,
 Fontibus, & totum sæpè rigabit OPUS.
 Sic in eo crescent vites, lauriq; feraces,
 Atq; coronabunt Doctius omne Caput:
 Assurgent florum cunctorum lilia Reges,
 Vernabunt violæ; Purpura Sacra Rosæ.
 Illis DOCTORUM cingentur Tempora docta,
 Et cedent Musis florida ferta suis.
 Ut magis applaudat JUNOSSÆ vistula Sedi.
 Decrevit Musis candida verba loqui!
 Ante tot annorum soles frumenta vehebam,
 Dantisco panis fercula multa tuli:
 Balthica sæpè mea complevi littora, messe,
 Vixeruntq; cibis Anglica Regna meis,
 Hispani, Galli, Dani, Sveci q; remoti,
 Et quondam Cereris Græcia plena mæ:
 Nunc autem quando Pallas fundata triumphat,
 Ad littus dum stat Bibliotheca meum :

Y;

Omittam

Omittam Cererem, Regni frumenta relinquam;
 Immutabo vices officiumq; meum:
 Atq; veham toto conscripta Volumina mundo,
 Portabo Musis dona beata, Libros.
 Ditior his gazis, & gemmis Vistula crescam,
 Ditior evadet Terra Polona mea.
 Cujus visceribus vitæ primordia duxi,
 In cujus gremio protraho Regna mea.
 Hæc sunt JUNOSSÆ, candoris signa perennis,
 Hæc sunt propter Vos vota suprema mea!
 Si vobis cælum, si debet Terra Coronas?
 Si vobis Phæbus, Lunaq; ferta ferunt?
 Si vos flammigeri proclaimant sidera cæli,
 Si vobis florum dat sua Flora bona,
 Si vos exornant totius Symbola mundi?
 Si vestrum studium cuncta creata sonant?
 Cur Vobis sacras non dicam Vistula laudes?
 Cur hæc cui, dominor, non resonabit Aqua?
 Dicam, narrabo clamabo, Fonte sonabo!
 Mirandumq; veham Nobile culmen aquis:
 Quò mea pertingent convexo flumina cursu,
 Huc JUNOSSARUM Nomina magna feram!

Comes in Zaluskie ZAŁVSKI, Supremus Regni Referendarius Eccl, majorem vitæ partem in Bibliotheca sua transagit, & hactenus idem studium continuat.

Fundarunt Musis qui prima Palatia REGES,
Bibliothecarum qui statuere Domos:
Hi tantum magno fuderunt pondere gazas,
Thesauris aurum distribuere suis.

Jam verò nullus REX Fundans vixit in illis,
Nullus eis vitae tempora cuncta dedit.

Dùm Musis JOSEPH ZAŁUSKI condidit Aram;
Non tantum largo munere, fudit opes:
Non tantum grandes thesauros contulit auri.
Non tantum summos emit ab Orbe Libros,
Sed totus Libris constanter vivit in illis,
Et conservata sibi Bibliotheca Domus.

Continuò degit, semper versatur in illa,
Ornamenta sui dirigit atq; locat.

Observat, quidquid vel spectat forte deesse,
Defectum supplet, corrigit, atq; notat.

Sic totam Sedem Musarum vestit, & ornat,
Ut Templi faciem verius esse scias:
Nullus ibi Scriptor, Doctor, nullumq; volumen,
Hic quem FUNDATOR non legat Ipse prius.
Intuitu primo DOCTORIBVS omnia monstrat,
Plura docet passim, quam docet ipse Liber.

Vt sol exoriens demonstrat quamlibet horam,
FVNDATOR monstrat quemlibet Ipse Librum.
 Nec tantum monstrat, sed quidquid continet, illud
 Explicat, illustrans ardua dicta Libri.
 Vnde prius veniens Hospes formatur ab Ilo,
 Quam Sacræ Sedis Scripta, Librosq; legat.
 Id præstans, pariterq; docens venientia corda,
 Altera **FVNDATOR** Bibliotheca nova!
 In Libris totam si vitam dicit, & annos?
 In Libro vitae Fonteç scriptus erit!

XXVII.

Illusterrimus FVNDATOR Supremus Referendarius Regni,
centum acutissimas Inscriptiones seu titulos suæ Bibliothecæ dedit.
EX centum Sacris titulis, Inscriptio quævis,
 Non tantum summum mentis acumen habet:
 Ast etiam spirat magnæ virtutis odorem,
 Doctrinam titulus quilibet ornat, habet
 Excitat ad rectos omnis sententia mores,
 Exacuit doctas, omne & acumen opes.
 Sicut adornantur Regum penetralia gemmis,
 Sicut ab obryzo splendida Templa micant:
 Sic h̄c dogmatibus præclaris omnia constant,
 Historijs raris tota notata Domus:
 Si te convertes ad portas, velq; fenestras,
 Atria si prima fronte videre cupis? Vndi-

Vndiq; dependens Inscriptio prodit acuta.

Vndiq; de loculis Aurea Dicta sonant.

Quot releges titulos, tot sunt oracula Magni

JUNOSSÆ, tot sunt Maxima signa Patris!

Quod si de Titulis FVNDATOR Magnus habetur?

Biblio- de theca concipe Quantus crit?

XXVIII.

Super Faciem Publicæ Bibliothecæ ZALVSCIANÆ habetur Inscriptio ab Illustrissimo Referendario Regni & FUNDATORE composita ac præscripta: in qua Inscriptione habet præfata Bibliotheca hos titulos: Adolescentibus Illicium: Senibus subsidium: Otiosis spectaculum: Studiosis negotium: Conditori Gloriosum Monumentum. Item ab eodem Illustrissimo Fundatore in Centuria Inscriptionum ejus super Bibliothecam, vocatur eadem Bibliotheca: Atrium Libertatis. De his singulis, seorsimè hic agemus.

BIBLIOTHECA,

ADOLESCENTIBUS ILLICIVM.

MEns Adolescentum quamvis sit prompta, parata,

Proclivisq; simul semper ad omne bonum:

Attamen illicium si proponatur eidem,

Virtutem curat fortius illa sequi.

Sarmaticæ mentes vita jam prorsùs adultæ,

Ne tardent Gentis munera digna suæ:

Bibliotheca sibi donat ZAŁUSCIA calcar :
 Proponit stimulus , illiciumq; refert.
 Illicium tantum dum spectat tota Juventus ,
 Quis Juvenis vel quis tardus adultus erit ?
 Qui nollet studijs mentem sacrare Polonam ?
 Vel qui detrectet Palladis arma sequi ?
 Nam si tota potest Dux unus castra movere ?
 Ut vincant hostem , prælia digna gerant :
 O quantum Juvenes possunt inducere mentes ?
 Tot clausi in Libris pectore , mente Duces !
 Indè tubæ Martis resonant & classica belli ,
 Indeç; virtutis promicat omnis odor :
 Indè vocant animæ Foliorum vimine clausæ ,
 Indè loqui manes , mortua membra student .
 Ut Lechici Juvenes capiant virtutis amorem ,
 Ut soboles spiret corda vetusta Pátrum :
 Omnis abindè Liber , Scriptor , Doctissimus Author ,
 Excitat , ut Libros omnis adultus amet .

BIBLIOTHECA

S E N I B U S S U B S I D I U M.

IN baculo Jacob , superavit littora tutus ,
 Iordanis fluvij , transiit omne vadum :
 Ut valeant transire senes discrimina rerum ,
 Illis subsidium ferre , parare decet . Subsi-

Subsidium senibus, ne desit nobile Fulcrum,
 Hoc illis monstrat Bibliotheca potens :
 Infirma quidquid non possunt tangere mente,
 Hoc dabit, & tradet Bibliotheca bonum.
 Conceptus reserat; supplebit acumina mentis,
 Sic nullo gressu fracta senecta cadet.
 Hæc Sedes cæcos, monstrat servatq; videntes;
 Hæc mutos profert grandia posse loqui:
 Hæc audire docet surdos, sensuq; carentes,
 Robustos, fortes reddit, & illa senes.
 Nam multi cæci, scripserunt multa videnda,
 Dixerunt muti facta stupenda Libris.
 Et vox surdorum Libris auditur in ipsis,
 Et vivax virtus sæpè probata senum.
 Unde senes nunquam desperent scribere Libros,
 Sufficiens robur Bibliotheca dabit.

B I B L I O T H E C A O T I O S I S S P E C T A C U L U M.

OTIA Romanus cupiens sanare Senatus,
 Condidit excelso magna Theatra sinu :
 Quæ fuerant Populis, vasto spectacula mundo,
 Ludorum Campus, meta, triumphus, honor.

Zz

Otia

Otia Sarmaticæ curans extingvere Gentis.

Conditor, ex Libris magna Theatra dedit:
 Ut sint Sarmaticæ toti spectacula Genti,
 Ut spectatores otia vana fugent.
 Hæc sunt magnificum, Sanctum Doctumq; Theâtrum,
 Coram quo Romæ prisca Theatra cadunt:
 Non etenim vanis hæc constat Fabrica ludis,
 Non Gladiatorum passibus iste Locus:
 Ast est Doctorum Magnorum Grande Theatrum,
 Principibus, Regnis, Regibus omne Sacrum.
 Quod si de populo quisquam sic otia curet,
 Ut nolit studijs vota, sacrare manus.
 Hic saltim spectet fundati dona Theatri,
 Tunc culpæ complex, credo minoris erit.

BIBLIOTHECA, OCCUPATIS DIVERTICULUM.

QVOS labor, officium, defessos occupat artus
 Hos divertendi gratia, lexq; juvat.
 Quæq; gravat mentem Supremi cura laboris,
 Tota modis varijs hæc recreanda manet.
 Hoc diverticulum multis Viridaria præstant,
 Hortorum campi pectora mæsta levant:

Biblio.

Bibliothecā tamen pro Musis gratiōr Hortus,
 Est diverticulum nobile, svave, sacrum,
 In qua quot species, formæ, legesq; sciendi,
 Tot divertendi signa, pījç modi.
 Ipſaq; congeries variorum mira Librorum,
 Delectat mentem, distrahit, atq; beat-

BIBLIOTHECA, STUDIOSIS NEGOTIUM.

QVisquis in Orbe manet, distincta negotia servat,
 Illorum curam perficit, atq; gerit.
 Ast hæc perturbant mundana negotia mentem,
 Obscurant animi lumina clara sui.
 Si Studiosorum dilecta negotia spectes?
 Illorum totus Bibliotheca Scopus.
 Omnia postponunt formosa negotia mundi,
 In solis mergunt omnia vota Libris.
 His studiosorum votis succurrat ut AGNUS,
 Erigit ingentis publica signa scholæ:
 Ut qui Librorum veri celebrantur amantes,
 Hic sedem propriam, figere sæpè queant.
 Hic ut consecrent devota negotia Musis,
 Abiectis terræ sordibus, atq; lucris.

BIBLIOTHECA,
ATRIVM LIBERTATIS.

DE cunis postquam LIBERTAS Gemma Polona,
 Tanquam de Concha nata, nutrita stetit:
 Atria bina sibi, proprijs elegit in arvis,
 In quibus ad Solium Libera vota sonent.
 Atria dicta manent, Varsavia, Grodnaq; passim,
 Hæc; Libertatis vasta Theatra patent.
 Has præter solitas de cunctis Urbibus Urbes,
 Libertatis adest tertius ecce Thronus:
 Nempe nitens Sacris de mundi cardine Libris,
 Publica Sarmatici Bibliotheca Soli.
 Quam JUNOSSARUM fundavit Candor, amorq;
 Et toti Regno contulit esse Sacram.
 Hæc LIBERTATIS Sedes ATRIUMq; stupendum,
 Hæc Vocis Lechicæ Porticus, atq; Sinus.
 Sicut enim recolit Varsavia libera vota,
 Ac illis nunquam Grodna Lithvana deest,
 Bibliotheca suò studiò deservit, & ardet,
 Ac LIBERTATI semper amica manet.
 Sicut ibi PROCERES referunt contraria dicta,
 Et certant variis Legibus, atq; modis:
 Attamen ad Regni contendunt sensibus Unum,
 Vocibus ex multis, Vox sonat una frequens: Sic

Sic quamvis multos DOCTORES continet una,
 Hæc JVNOSSARUM Publica Docta Domus:
 Qui sibi DOCTORES contraria dogmata narrant,

Diversas Orbis sæpè sequendo scholas :
 Attamen hi cuncti , statuunt concorditer Unum ;
 Quidquid eos urget, vel jubet una Fides.

Ut Generale VETO , Lechico conceditur ORI ,
 Dicere cur nequeat Bibliotheca : VETO ?
 In praxiq; Vetat FIDEI contraria Jura ,
 Quæ REGI , LEGI sunt inimica ; negat-

DOCTORES pariter prædictæ Sedis Alumni ,
 Semper habent promptum dicere sponte: VETO .
 Cogitur hîc nullus reliquorum Dicta tenere ,
 Sed quivis sensum narrat , agitq; suum.

Qui negat hîc aliquid , sua Dicta probare tenetur ,
 Sed ratio prudens , justa trophæa capit.
 Quamvis DOCTORES curent certare frequenter ,
 Jurgia nulla fovent , bellaq; nulla movent :

Sed tacite propriis SCRIPTIS persæpè loquuntur ,
 Atq; tacendo , solent grandia , summa loqui .

Et plûs ista valent veneranda silentia Divûm ,
 Quam LIBERTATIS VOX referata nimis .
 Bibliotheca licet totius continet orbis

Lingvas , & voces continet ora simul :

Atta-

Attamen observat bene LIBERTATIS honorem;
 Illaq; Gens dici LIBERA rite potest.
 Illa potest dici RESPUBLICA LIBERA mundi,
 Libera, quā nunquam creditur ulla magis.
 Est Libertatis Radix, Exemplar, Imago,
 Est Speculum de quo quisq; videre potest,
 Quomodo Libertas tractanda, colenda, tenenda,
 Quomodo Vox vel Lex Libera danda Throno.
 Quomodo pro FIDEI, REGIS, vel LEGIS Honore,
 Dicere sit strictus, quisq; SENATOR, EQVES.
 Ut Libertatem Lechicam REX, atq; SENATUS,
 ORDOq; (Flos Regni) fundat EQVESTRIS Eam:
 Biblio-Libertas-thecæ fundatur in istis,
 Ordinibus: Gradibus constat & Illa tribus:
 AGNUS enim FUNDANS Sacrum Doctumq; Theatrū,
 Palladis in Solio, Regia scepta tenet.
 Et quot DOCTORES hæc Sedes computat Ampla,
 Illa SENATORES, tot videt esse suos:
 SCRIPTORES verò Classis, Sortisq; minoris,
 Ordinis ingenuè munus Equestris habent.
 Quomodo REX AGNUS sit Libertatis Amator!
 Est Regnum Testis, Bibliotheca simul
 Quomodo DOCTORES, Scriptores Classe Minores
 Libertatis ament jura, statuta, fidem?

Illorum

Illorum Zelum demonstrant aurea Scripta,

Quæ Libertati Sacra dedere suæ.

Quæ confecerunt pro Libertatis amore,

Ut non deficiat Nomen, honorq; suus.

Hinc ad eos volitent AQVILÆ Pulliq; Poloni!

Et Libertatis jura, modumq; ferant.

Dicant, LIBERTAS, methodo quâ, lege tuenda?

Libertate frui quomodò rite queant?

Nam si LIBERTAS, non servet dogmata legum,

Laxa sit, & Regnis perniciosa Suis.

BIBLIOTHECA CONDITORI Gloriosum Monumentum.

Symbolum: Aurea Vrna cum Lem: *Hac FUNDATOR
vivit in Vrna,*

Qui sua perpetuò servari corporā curant,

Aurigeras urnas, & monumenta petunt:

Ut sicut purum rarò corrumpitur aurum,

Sic corrupta nihil membra sepulta forent:

Tantâ FUNDATOR JOSEPH Dignissimus Urna,

Sed melius quid Ei, Bibliotheca paro.

Ex me FUNDATOR monumentum Mágnum habebit,

Visceribus Proles, condere posco PATREM

Aa

In me

In me quando meus Primus tumulabitur AUTHOR,
 Vivet in æternum Gloria, Fama Sua!
 Sicut Ego vivam, sic vivet CONDITION in me,
 Amborum pretium, vita perennis erit!
 Sicut Ego vivam Libris per sæcula cuncta,
 Sic vivet proprijs CONDITION Ipse Libris.
 Hinc quicunq; meam posthâc conspexeris Ædem,
 Hæc in Ea quæso, verba notanda legas:
 Hâc JUNOSSA COMES FUNDATOR vivit in Urna,
 Qui me fundavit, non valet Ille mori.

S U P P L E M E N T U M

Eorum quæ in prima Parte per inadvertentiam Typographiæ omiska sunt.

Quamprimum CELSIS SIMVS PRINCEPS suscepit Fasces Episcopatū Cracoviensis tamprimum visitat Bibliothecam Celeberrimæ Vniversitatis Cracoviensis.

Quam primùm Fasces Cracii Suscepit Ovilis,
 Magnorum PRINCEPS Gloria, KOSTKA Ducum.
 Tam primùm Craciā Librorum visitat Arcem,
 Prima fuit curæ Bibliotheca Suæ.
 Quotquot Oves Sacrum Cracium concludit Ovile,
 Bibliotheca pares claudit, & ornat Oves.

Nempe

Nempè Sacros Manes , quorum monumenta quiescunt,
 Biblio · sub · thecæ Sedibus atq; Libris.
Has invisit Oves devoto munere Pastor,
 Atq; salutavit Scripta stupenda Patrum.
Hisq; salutatis gratè benedixit iisdem ,
 Incrementa vovéns Principe digna Loco.
O quantùm vigilans Pastor censendus , amansq;
 Qui tantùm cunctis providet atq; studet
 Et qui non tantum vivis solatia confert ,
 Ast defunctorum Scripta manusq; colit.

II.

Sicut mirandam PRINCEPS Hic condidit Aram
 Pro donis Sacræ Palladis atq; Libris :
 Sic quò Præsulei flectit vestigia gressûs ,
 Bibliothecarum Templa videre cupit .
 Ut cunctæ simili splendescant ordine , lege ,
 Sicut resplendet Bibliotheca Sui .
 Ut pisces langvent vivo sine fonte , vel unda ,
 Sic langvet PRINCEPS Hic sine dote Libri ,
 Hinc inter curas Regni Lechiciq; SENATUS ,
 Bibliothecarum Tutor , Amator adest ,
 His vitam pascit , mentem disponit ad astra ,
 Plus Libris vivit , quam calet Ille cibis .

Celsissimus PRINCEPS in primo sui Regiminis Limine revidit omnes Scripturas, characteres, Literas & notas Typographiarum.

Sicut KOSTKA PIUS PASTOR scrutatus Ovile,

Sicut & invisit singula sancta Loca :

Atq; Diæcesim totam lustravit ad ungvem,

Aras conspexit, Templa, Sacrasq; Domos:

Sic Præli cunctas Formas, Fontesq; Notarum,

Sollicito studio lustrat, amore pari :

Atq; Typographicas expendit rite Figuras,

Utrum sint Regni Legibus apta sui ?

Biblio - num - thecis possint prodesse struendis ?

Utrum Scriptorum condere scripta queant ?

Ut CHRISTUS Pastor Divini Summus Ovilis,

Sic Legis propriæ condidit omne genus :

Ut de Lege sua, pretioso sangvine , firma,

Nullum vel minimum iota periret , Apex:

Sic PRÆSUL minimos apices , & signa Notarum,

Visitat, & lustrat, perficit atq; probat.

Ut quas fundabit Leges hoc propter Ovile,

Ex illis nullum iota , vel absit apex.

Ut tali medio pretium Culmenq; Sacrarum,

Bibliothecarum , crescat in orbe suo.

Celsissimus PRINCEPS post revisionem Typographiarum, conduxit

conduxit de finitim⁹ Regno Artifices literarum, charac-
terum, seu notarum Typographicarum, proprio sum-
ptu in Regnum Polonie.

Artifices aptos de Regno, Gente remota;
Cudendis PRINCEPS convocat ære Notis;
Id quonam studiō, sumptu, grandiq; labore?
Sarmaticis Regnis exhibet, atq; locat?
Non satis est Illi, quod Sedem conderet unam,
Pro Musis: plures condere (crede) cupit!
Et desideriis immensis æstuat, ardet,
Ut totum Regnum Bibliotheca foret!
Sic varias species, formas & signa typorum,
Invehit, ad vasti Regna Polona Soli:
Ut facili medio DOCTORUM scripta premantur,
Ut labor Authorum, possit ubiq; legi.
Ut crescant Libri, crescantq; Volumina plura,
Ut Regni crescat Bibliotheca simul.
Biblio - quas - thecas privatas Terra Polona,
Antiquo Gentis jure, modoq; tenet:
Has magnus PRINCEPS augendas, atq; colendas,
Rite per impressas concupit esse notas.
Biblio - quod - thecæ crescent de PRINCIPIS actu,
Et quod conficient publica præla Libros:
Tot testes aderunt, lingvæ, pro PRINCIPE KOSTKA,
Quantum procuret publica gesta Boni. Quot-

Quotq; Notæ, species, Libris relegentur in ipsis,
Præcones facti, tot feret Ille sui.

V.

Quamprimum Artifices Literarum Typographicarum deducti
sunt Cracoviam, statim mandatō Celsissimi PRINCIPIS,
prodit publica Notitia, ut omnes Typographi in Regno Poloniae
degentes recurrent ad eosdem Artifices, & Typos Suarum Ty-
pographiarum reparent.

Qvandò Typographicis Formis præsentibus apti
Artifices, nostro se statuere Polo:

En mox Sarmatico PRINCEPS denuntiat Orbi,
Ut reparata foret Litera quæq; Typi.

Hinc constat quantus zelus sit PRINCIPIS hujus,
Fiat ut in Regni debitus ordo Typis:

Utq; Typographicæ vigeant feliciùs Ædes,
Atq; notent Gentis clariùs Acta suæ.

Si minimos Apices, tam curat PRINCIPIS ardor?
Quantò plus quærerit Grandia jura Throni?

Quantò plus Fidei, Regni, Legumq; Senatûs?
Commoda procurat, promovet, atq; tegit!

Si verò Studium Cracii spectetur Ovilis?

Hoc est Immensum, Grande, Perenne, Pium!

F I N I S.

Adest Operis, sed non est finis amoris,

AGNUM quo debent Regna Polona sequi.

四百一

Fleeces fiscer tot fiscer-licc fer.

v

*Geometriae elementis ad solidae solidum. O. Epoca Secunda. I.
Praeceptum istud. Etiam. Etiam. Etiam.*

Quinn's, Justice in Illinois. *See* **Aboriginal Tribes**.

Ein weiterer Schritt auf dem Weg zur PRINCE2®-Gesamtqualität

U.S. GOVERNMENT PRINTING OFFICE: 1914. 7-1250

Huia coffee adjustable seats in black or black/cream

that in the Reindeer species older than this

U.S. Fish and Wildlife Service Biological Report

Digitized by srujanika@gmail.com

Alone among the great powers, America has consistently supported the principles of the League of Nations.

Saint Paul 1873 issue and serials

1959年 中国科学院植物研究所植物学报

[View more e-commerce software](#) [View more software](#)

५१८० अमरावती नगरी मुम्बई ड्रेस १२

Digitized by srujanika@gmail.com

ЗАИД

stream right. On the left, across the stream, is a large, flat, grassy island.

GCHQ: Computer-based process models can be used to support decision making.

XVIII-2-1414